DI TORINO

R. BIBLIOTECA DI S.M.
N.º 2473 X
TORINO

G 26

(25)

EX BIBLIOTHECA
REGIS
HVMBERTI

Sze

# CODEX
## PHARMACEUTICUS
PRO
NOSOCOMIIS, HOSPITIIS,
CÆTERISQUE BENEFICENTIÆ INSTITUTIS
CIVITATIS TAURINENSIS
ILLUSTRIUM ADMINISTRATORUM
JUSSU ELABORATUS

EDITIO SECUNDA EMENDATA ET AUCTA.

Th. A. Bosio.

BIBLIOTECA REALE

TAURINI MDCCCXI

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS GIOSSI.

Qui ante nos iſta moverunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt.

*L. Annæus Seneca epiſt. XXXIII.*

Quid egerimus, judicent, quibus cor ſapit, judicent arbitri præjudiciorum immunes, prudentes, et experti: his namque credendum eſt, reliquis minime.

*Georgius Baglivi lib. I.*

# PRÆFATIO

## PRIMÆ EDITIONIS.

Quum Illustrium Administratorum mandatu Codex Pharmaceuticus nobis esset describendus, in quo necessaria ad ægrorum sanationem methodo tuta, facilique, atque utili parsimonia contineantur, superfluis omnibus, et luxui tantum inservientibus prætermissis, illud nobis in primis expendendum duximus, quod rerum medicarum Scriptores de hoc argumento tradiderunt (1). Similes etiam Codices Italos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, quorum nobis copia esse potuit, consuluimus, atque ex omnibus quæ utiliora, quæ minus dispendiosa excerpsimus, nostroque usui, ad rationis, et experientiæ trutinam prius revocata

(1) Inter Libros, qui ex professo de Pauperum Medicina agunt, libenter indicamus parum notum Opusculum Taurini editum an. MDCLXXX, in quo Majorum nostrorum pietas in Pauperes præcipue ægrotantes maxime elucet, cui titulus *Avvertimenti per la cura de' poverelli infermi nella Città di Torino*. Hujus libri pag. 33 incipit *Fasciculus Medicamentorum pro Pauperculis*.

accommodavimus. Verum hoc peragentes facile percepimus opus nostrum paucis fortasse gratum, acceptumque futurum: multi enim nimis compendiosum, pauci vero adhuc superfluis infarctum dicent. Ne igitur illorum hominum, qui superficie tenus de omnibus judicant, captiosis rationibus suscepti operis optatus exitus retardari possit, nonnulla præmittenda censuimus, quibus utrique opinioni aliqua ratione satisfieri possit.

Atque primo quidem animadvertendum est non semper medicamentis ad morborum sanationem opus esse; unde jam olim Medicorum facile princeps Hippocrates scriptum reliquit, *bonum interdum est medicamentum, nullum adhibere medicamentum* (2), atque Dictator Fabius Magistro Equitum Minutio, uti habemus ex Livio, dixit: *Medicos plus interdum quiete, quam movendo, atque agendo proficere* (3): per quietem vero, et abstinentiam sæpe instantem gravem morbum discuti, legimus apud Cornelium Celsum (4); iisdemque solis præsidiis multas etiam difficiles sanari ægritudines, nullo non tempore observatum est. Quid, raræ ne sunt etiam in populosis civitatibus spontaneæ morborum sanationes, ut necesse sit in medium adducere maximam hominum partem in Asia, Africa,

(2) Lib. de Articulis.

(3) Lib. 22 cap. 18.

(4) Lib. 3 cap. 2.

America, immo in ipsa Europa, rusticos præcipue, plebeios, uno verbo fere omnes, quibus res est angusta domi, sine medicamentis a gravissimis morbis quotidie convalescere? *In his quoque, in quibus medicamentis maxime utimur, quamvis profectus evidentior est, tamen sanitatem, et per hœc frustra quœri, et sine his reddi sœpe, manifestum est* (5). Hinc multi gravissimi Auctores remediorum vanitatem exaggerantes, recto usu illarum rerum, quæ nonnaturales a Medicis nuncupantur, potius quam pharmacis morbos aggressi sunt; inter quos præcipue in nostra Italia ingenio, scientiaque excelluerunt Franciscus Redi, Antonius Cocchi, Andreas Pasta, cæterique Etruscæ, seu verius Hippocraticæ Medicinæ sectatores. Alii vero remediorum usum non nullis tantum morbis circumscribentes, quando agendum in morbis, et quando cessandum a curationibus, determinare satagerunt: atque *majoris artis esse* cum Francisco Vallesio (6) existimantes *cessare cum expedit, quam facere etiam opportuna; quia majoris periculi est cum cessandum est facere, quam cum faciendum cessare*, ad ægrotorum lectos spectatoris personam agere multo utilius ut plurimum esse, quam actuosum perpetuo se præbere, tum passim in eorum operibus, tum justo volumine demonstrarunt. Inter hosce merito celebrantur Gedeon Harveus, Georgius Hernestus Stahl, Geor-

(5) A Cornelius Celsus lib. 7 præfat.

(6) Methodi medendi lib. IV cap. 1.

gius Volfgangus Wedelius, Abraham Vater, Daniel Wilhelmus Triller, Dominicus Raymond; tum qui ad quæstionem de medicina agente, et expectante ab Academia Divionense propositam responderunt, præmioque digni magna cum laude judicati sunt, Voullonne, Planchon, Jaubert; tum qui postremo hoc argumentum pertractarunt Joseph Pasta, Joannes Emmanuel Gilibert, et Vitet: ex quorum Virorum operibus illud certius evincitur, multo paucioribus subsidiis indigere Artem Medicam, quam quorumdam avaritia, multorum ignorantia, atque populorum, et vulgarium medicorum credulitas adhuc dum fidenter jactitat.

*Alterum illud ignorare non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit ut alia, atque alia summi Auctores quasi sola venditaverint prout cuique cesserant. Oportet itaque ubi aliquid non respondet non tanti putare auctorem quanti ægrum, et experiri aliud atque aliud* (7). Ergo plura in promptu habere debet Medicus ejusdem generis præsidia, ut recte curet. Quod viderat etiam Asclepiades, qui quamquam febricitantibus, et morbo acuto correptis medicamenta danda negavit, sola victus ratione contentus, longos vero morbos fricatione, gestatione, ambulatione, similibusque gymnasticis præsidiis sanavit; in alio libro tamen, qui Præparationum inscribitur, *ultimæ sortis esse medicum* asserit, *qui non*

---

(7) A Cornelius Celsus de medicina lib. 3 cap. 1.

*ad singula quæque vitia binas, ternasve compositiones, et expertas protinus paratas habeat* (8). Nemo igitur nobis vitio vertet, si Codex noster medicamentis abundare videatur, quem tamen, si quis animo ab omni partium studio libero attente perlegerit, ad auream mediocritatem nos animo intendisse, fore ut ultro concedat, speramus.

Cæterum multa exotica medicamenta, et aliqua præparata officinalia consulto omisimus, non tantum parsimoniæ causa, sed quia vel indigenis facile suppleri possunt, vel dubiæ fidei propria experientia cognovimus: ita ad exemplum Pulpæ Cassiæ, et Tamarindorum substitui potest Pulpa Prunorum addito aut Saccharo, aut Tartrite Acidulo Potassæ; Polygalæ Senegæ Polygala amara, et vulgaris, aut radix Inulæ Helenii; Quassiæ amaræ radix Gentianæ Luteæ; Smilaci Salsaparillæ Solanum Dulcamara cum radice Saponariæ, aut radix Hummuli Lupuli; Salep Persarum Solanum tuberosum præparatum; Mannæ Sulphas Magnesiæ cum Melle etc. Radix vero Cysampelos Pareiræ, Angusturæ cortex, Antihecticum Poterii, Murias Ammoniacæ et Cupri sublimatus, similiaque generatim promissis non respondere observatum est.

Nonnullas vero præparationes usus non infrequentis minime descripsimus, sed in Prima Parte indicavimus, tum

---

(8) Scribonii Largi Compositiones Medicamentorum. Argentorati 1786 pag. 4.

quia a Pharmacopolis præparari non solent, tum quia multo minori pretio ab aromatum Venditoribus haberi possunt; quas tamen optime dignoscere, et opportuna methodo examinare debet prudens, et peritus artifex, priusquam ægris exhibeat, ne damnum, atque etiam mortem pro salute ipsi accipiant. Nec difficile, aut longum opus hoc est: ita exempli gratia optimus Murias Hydrargiri supraoxydatus perfecte in Alcohole solvitur, ex adulterato fit præcipitatum; ita experiendo facile videbit, an Tartris Potassæ acidulus particulas Cupri contineat, nam in hoc casu Ammoniaca saturatus præbebit tincturam cæruleam: et sic porro.

Quid autem dicendum de famosis illis antidotis, Theriaca, Mitridatio, Requie Nicolai, Philoniis etc., quæ ex innumeris simplicibus, et aliquibus compositis medicamentis simul sine ratione, immo contra rationem coacervatis monstrose componuntur, et quorum efficacia a sæculorum experientia comprobatur? Modeste tantum observamus cum Tralles, si hæc Antidota sine Opio præparentur, *nihil operosa tot simplicium confusione præstare dolebit, quod aroma quodvis, vel radix quævis acri sapore pollens non præstitisset* (9); dum Opium solum justa dosi, et tempore opportuno exhibitum, quidquid ab illis expectari potest, tutius, certiusque operatur.

---

(9) Balth. Lud. Tralles Usus Opii salubris et noxius. Pars I., cap. 1.

Idem dicendum de quamplurimis aliis compositionibus, quæ tum ad internum, tum ad externum usum adhuc dum in officinis prostant, et quarum componentes partes, si absque præconcepta opinione ad examen revocentur, inutilibus multis, aut inter se pugnantibus, paucis vere efficacibus conflari quisquis facile videbit. Hinc non sine ratione a nobis hæc omnia prætermissa sunt, simplicioribus, magisque utilibus illorum loco suffectis.

Porro qui morbis tum internis, tum externis medentur, satis norunt, simplicissima methodo tutius, citiusque sanari ægritudines, quam remediorum varietate, et farragine, ex quibus morbi obscuri fiunt, et artis incrementum retardatur; cum post sanatum ægrum, quid profuerit in tanta remediorum differentia prorsus ignorari necessum sit. Vix vero credi potest adhuc inveniri inter artis salutaris Professores, qui cuique symptomati, et epiphænomeno propria medicina occurrere velint, aut qui in singulis ægris plures morbos etiam diversæ speciei perpetuo videntes, multiplici remediorum usu ægrotantes ita obruunt, ut ramos excidendo sæpe truncus succrescat, aut ex uno in alium, et primo oppositum morbum incidant ægroti: ex quo tam frequentium morborum complectionum opinio apud incautos confirmatur, quæ tamen apud sapientes artificis ignorantiam, aut artis impotentiam significat. Ergo quibus ægrorum salus, artisque decus, et incrementum cordi est, paucis nostris remediis contenti in id præcipue incumbent, ut morbos, et remediorum op-

portunitates recte dignoscant; nam *cujus rei non est certa cognitio, ejus opinio certum reperire remedium non potest* (10); atque

*Temporibus medicina valet, data tempore prodest,*
*Et data non apto tempore sæpe nocet.*

Codicem autem nostrum in tres partes distributum exhibemus. Prima continet enumerationem Medicamentorum Simplicium, atque illorum Præparatorum, quæ a Pharmacopolis emi solent; inter simplicia nonnulla indicamus, quæ in officinis non adhuc sunt recepta: eorum autem usum non exhibemus, tum quia a Medicis ignorari non credimus, tum quia fere omnium usus ex Flora Pedemontana clarissimi Caroli Allionii facile eruitur. Secunda descriptionem Remediorum Officinalium, seu quorum præparationes in officinis perfici, et semper præsto esse debent; inter quas asterisco notavimus, quæ brevi immutantur, quarum propterea non magna quantitas præparari debet, ne inutili dispendio sint projiciendæ, aut cum ægrorum damno jam vietæ exhibeantur. Tertia denique complectitur Remedia Magistralia, sive Specimen Formularum Medicinalium, quæ ex tempore sunt perficiendæ. Post nomina Officinalia, vegetabilibus subjunximus Linnæana, utpote ad dignoscendas species, et errores vitandos magis accommoda; cæteris vero addidimus nomina nova juxta recens

---

(10) A. C. Celsus lib. 1 Præfat.

Systema Gallicum, quod licet præferendum existimemus, uti magis idoneum ad res significandas, attamen cum non satis omnibus in præsentiarum, quod dolendum, notum sit, antiqua nomina adhuc in officinis recepta anteponere, vel inviti, debuimus (11). Hic autem notare oportet, Macerationem juxta nos fieri debere cum calore temperato Thermometri Reaumuriani, Digestionem vero inter trigesimum, et quadragesimum gradum ejusdem Thermometri.

Illud vero non ignorari volumus, Codicem nostrum a clarissimo Joanne Antonio Giobert in rebus chemicis, et pharmaceuticis nulli secundo, singulari sua humanitate perlectum, et emendatum fuisse, quod grati animi ergo, libentissimis omnibus, palam profitemur.

Tandem observandum est, pondera nostra medicinalia ita comparata esse, ut libra contineat uncias duodecim, uncia drachmas octo, drachma scrupulos tres, scrupulus grana viginti, granum autem Pedemontanum superat $\frac{1}{211}$ granum antiquum Gallicum. Quoad vero pondera nova

---

(11) *Io darò un utile suggerimento agli Speziali, che vogliono famigliarizzarsi prontamente coi nomi nuovi della Chimica. Essi devono scriverli sui barattoli, sui vasi, e sulle scatole in grandi lettere, e debbono sotto ai medesimi esporre i nomi vecchi corrispondenti. Con questa precauzione si eviterà inoltre ogni sbaglio, e con questo soccorso si agevolerà ai medesimi l' intelligenza . . . . . . . de' libri moderni di Chimica.* Farmacopea Ferrarese del Dottore Antonio Campana ec. Seconda Edizione. Firenze. Pag. 8.

Gallica juxta Specimen Metricum (12) præclarissimi Physices Professoris in Taurinensi Athenæo Antonii Mariæ Vassalli-Eandi, unius ex delectis præstantibus Viris, qui Parisiis ad uniformem ponderum, et mensurarum rationem statuendam publica auctoritate convenerunt, neglectis parvis fractionibus,

| | |
|---|---|
| Libra nostra medica respondet grammis | 307, 370. |
| Uncia . . . . . . . . | 25, 614. |
| Drachma . . . . . . . | 3, 202. |
| Scrupulus . . . . . . . | 1, 067. |
| Granum . . . . . . . | 0, 053. |

Taurini, die 28 Augusti 1805.

ANFORNI, CALIGARIS, COSTA, ROSSI, SACCHETTI.

(12) Saggio del Sistema Metrico della Repubblica Francese col rapporto delle sue misure a quelle del Piemonte. Seconda Edizione, Torino an. X, pag. 83.

# PRÆFATIO

## SECUNDÆ EDITIONIS.

Quod erat maxime optandum, hic Codex Pharmaceuticus sex ab hinc annis primo editus, iterum in lucem prodit emendatus, et auctus. Statim enim a prima editione nonnulla animadvertimus emendatione digna, alia præcipue inter exotica, quæ sine ægrorum damno adhuc omitti poterant, atque non pauca indigena prætermissa, quæ exoticorum defectum supplere merito existimantur.

Quum igitur ab Illustribus Administratoribus hæc secunda Editio nobis demandata fuerit, alacriter impositum onus suscepimus, atque qua potuimus diligentia juxta Illorum mentem totum opus retractavimus, emendando, delendo, atque addendo prout nobis post attentam disquisitionem visum est.

In ipso autem discussionis limine statim se se obtulit jam olim, nunc vero maxime agitata quæstio: utrum scilicet Materia Medica exoticis tuto carere possit. Profecto, licet indigena quamplurimis exoticis sine noxa substitui

posse negandum non sit, omnia tamen rejicere, etiam post tot recentiorum conatus, adhuc dum piaculum esset. Inter exotica, quæ in hoc rerum statu prætermitti non possunt, jure meritoque primum locum tenet Cortex Peruvianus. Quis enim tam socors febrium intermittentium mali moris curationem solis indigenis committeret, quandoquidem innumera fere febrifuga, quæ huic divino Cortici subrogare nullo non tempore tentatum est, ab ejus efficacia in hoc casu longissime distant: ergo Cortex Peruvianus retinendus sine dubio est, a quo solo harum febrium tuta et cita sanatio in præsentiarum expectari potest. Quod autem de hujusmodi febribus dicimus, de aliis morbis, et de febribus intermittentibus non perniciosis minime intelligendum esse volumus, in quibus Cortex Peruvianus non ita necessarius est, ut ab aliis remediis indigenis abunde et commode utplurimum suppleri nequeat: idcirco nonnisi rarissime pro usu interno, nunquam vero pro externo præscribendum esse existimamus.

Jam vero omnia medicamenta, quæ utiliter pro China-China usurpata sunt, nimis longum foret, neque hujus loci enumerare: nonnulla tantum indicabimus, quæ, aut minus communiter considerata, aut non ita pridem a fide dignis Auctoribus felici cum successu sunt adhibita. Inter prima locum habent cortices multarum arborum, aut indigenarum, aut abunde in nostro agro cultarum, uti sunt Fraxinus excelsior, Quercus Robur, Prunus Padus, Prunus spinosa, Salix alba, Salix viminalis, Æsculus Hip-

pocastanum; tum cortex viridis Nucum Juglandium; radices Gei urbani, Valerianæ officinalis, Polygoni Bistortæ, Potentillæ reptantis; tum flores et radices Arnicæ montanæ; tum herbæ Centaurea Calcitrapa, Leonurus Cardiaca, Eupatorium cannabinum. Inter secunda merito recensemus Emulsionem Amygdalarum amararum cum extracto Gentianæ Centaurii a D. Frank filio (1) nuper cum successu tentatam, quæ votis nostris non semel respondit: neque novum est amygdalas amaras ad febres intermittentes præscribere; jam enim Joannes Heurnius, versus finem sæculi XVI, maximo cum fructu usus est formula, quæ recipiebat Nucis moscatæ ustæ, nucleorum Persicorum, et Amygdalarum amararum partes æquales, cujus drachmam cum vino ante paroxismum exhibebat (2); atque Petrus Jonas Bergius Emulsionem Amygdalarum amararum cum pauca quantitate Tartritis Potassæ aciduli melle edulcoratam, ad unam vel duas libras, apyrexiæ tempore sumtam, febres intermittentes profligasse pluries observavit, quæ Chinæ-Chinæ virtutem eluserant (3). Illud autem

---

(1) Topographie médicale du Département de Posen: vid. Bibliothèque médicale Tom. XVIII, pag. 78.

(2) In notis ad cap. 11, lib. De Febribus Joh. Fernelii: vid. Thom. Burnet Thesaurus Medicinæ practicæ, Venetiis 1733, pag. 271; De Haen Ratio medendi Pars XI, Cap. 1; Trnka Historia febrium intermitt. Partis II, Sect. II, Cap. VII.

(3) Materia medica e regno vegetabili. Stokolmiæ 1782, Tom. I, pag. 433.

novissimum, nec tamen ita facile credendum, duas solum Amygdalas amaras ante paroxysmum commestas febres intermittentes superare; quod observatum legimus ab Hufeland, et confirmatum a Wiebel, qui insuper eas utiles vidit in quibusdam morbis nervosis, et ad tæniam expellendam (4). Præterea haud dubitanter proponimus corticem Liriodendri Tulipiferæ, quæ apud nos colitur, atque optimum succedaneum Chinæ-Chinæ promittit, uti expertus est Vindobonæ Cl. Hildebrandt post observationes celeberrimi Humbold in America septentrionali habitas, ubi pro China-China communiter æquali cum successu adhibetur: hic autem cortex fidentius præscribi potest, quum ex analysi chemica constet præter manifestissimum aroma, eminenter principium amarum concino (*Tannin*) conjunctum continere (5). Nec omittenda existimamus folia Oleæ Europææ, quæ nuperrime a D. Casals in tribus ægris adhibita, tam interne quam externe, præsentissimum remedium se præbuerunt ad gangrænam et febrem profligandam, frustra primo adhibita China-China (6).

Tandem pro usu potissimum externo pleraque supra indicata, inter quæ præcipue ibi memoratos cortices, atque radicem Arnicæ montanæ sufficere; in multis vero

---

(4) Bibliothèque médicale Tom. XVIII., pag. 386.

(5) Ut supra Tom. XXIX, pag. 405. Non concinum, sed acidum gallic. in hoc cortice adesse scribit Cadet: Vid. Bull. de Pharm. 1.ère année, N.° XI, pag. 520.

(6) Bulletin de Pharmacie, 3.e année, Num. II, pag. 83.

casibus Chinæ-Chinæ præferendum esse Acidum Muriaticum Oxigenatum, omnibus nunc notum est.

Verum de remediis quæ sæpissime Chinam-Chinam supplere possunt ex vegetabilium classe petitis, plus quam satis; de illis quæ ab animalibus et mineralibus desumi solent, dicere supervacaneum existimamus: præter enim Gelatinam, quæ paucis abhinc annis a Seguin proposita, nostris, aliorumque votis sæpe respondit (7), atque Sulphas Ferri nuper a Marc prædicatum (8), quod pluries a nobis præscriptum spem fefellit, vix aliud adest medicamentum, quod aut veteribus jam cognitum, aut omnibus compertum non sit, quorum enumerationem videre est apud Medicinæ practicæ Scriptores, præsertim Werlhof, Dehaen, Trnka, Burserium, qui ita concludit: *sed pleraque ex his aut noxia aut ſutilia ſactis periculis deprehensa sunt, prœ primis Arsenicum, a quo Cl. Viri Haenius, Storckius, et Quarinius plurima et ſerme incurabilia mala proſecta testantur* (9). Hinc neque Arsenicum,

---

(7) Sur l'usage de la gelatine dans les fièvres périodiques, lettre du Méd. J. F. Caligaris etc. V. Biblioth. italienne Vol. III, pag. 125. Gautieri, sul glutine animale, Milano 1803. Alibert, nouveaux élémens de thérap. et de mat. méd., Paris 1808, Tom. I, pag. 212.

(8) Mémoire sur l'emploi du sulphate de fer dans les fièvres intermittentes: Recueil périodique de la Société de Médecine de Paris, Tom. XXXIX. Vid. Bibliothèque Médicale Tom. XXX, pag. 383.

(9) Institut. Med. pract. Mediolani 1781, in 4.°, Vol. I, pag. 78.

neque ejus Præparata admisimus, non enim magis obsequendum est Neotericis, qui eorum usum pervulgare contendunt (10), quam fidis observationibus illorum, qui ab Arsenicalibus etiam circumspecte adhibitis horrenda mala, et mortem ipsam, mox celerem, mox lentam secutam esse testantur (11).

De Opio quid dicendum, cujus frequentissimus usus adeo pretiosum reddidit, ut vix purum haberi amplius possit; propetereaque incertæ ac valde inæqualis efficaciæ

---

(10) Vid. Annotazioni medico-pratiche di V. L. Brera, Vol. I, pag. 223 et seq.; item Bibliothèque médic. Tom. XXV, pag. 125 et s. Expériences sur différens fébrifuges; ibid. Tom. XXVI, pag. 91 et s., ac Recueil périod. de la Soc. de Méd. de Paris, Tom. XXXV, Observations sur l'efficacité de l'arséniate de soude etc., par J. G. Dupont; denique Giornale della Soc. Medico-Chirurg. di Parma, Vol. IX, pag. 71, 122, etc. Osservazioni sull' uso dello arsenico, di G. N. Hill., Chirurgo a Cherster.

(11) Præter Auctores a Burserio citatos idem observarunt Wepfer (*Historia Cicutæ aquat.* Lugduni Batav. 1733, pag. 367 et s.) Stahl (*Opusc. Chimico-Physico Med.* Hallæ Magdeburg. 1715, pag. 446 et s.) Werlhof (*Opera Medica a Wichmann collecta* Hannoveræ 1775, pag. 85 et s.) Fowler ipse (Vid. Alibert *Nouveau Élém. de thérapeut. et de mat. méd.* Édit. 2, Tom. I, pag. 472). Broussais (Vid. *Bulletin des Sciences Médicales*, cahier d'avril 1810, et *Biblioth. méd.* Tom. XXVIII, pag. 385, Observations sur les effets de l'arséniate de potasse), aliique, de quibus apud Stahl (loc. cit. pag. 453), et Triller (*Dispensatorium pharmaceut. univers.* Neapoli 1779, pag. 17).

in praxi observatur. Hoc pharmaco carere quidem Medicina non potest, sed ex capitibus Papaveris somniferi (uti scribebat medio sæculo XVI Franciscus Alexander Vercellensis) *Opium valentissimum nostris in partibus parari posset, at nescio quo ſato adulterinum Opium, aut verius Meconium coemere exoptant, quam parum laboris impendere, et domi parare* (12). Revera posterioribus temporibus Opium simile orientali, nec viribus inferius obtinuerunt, juxta methodum a Dioscoride (13) relatum, scarificando capita Papaveris, atque lacrymam inde emanantem colligendo, in Svecia Falk, et Lindestolpe (14); in Germania Dillenius, Haller (15), et Tralles (16); in Britannia Alston (17), et Ball (18); in Gallia Dux Aure-

---

(12) Apollo Francisci Alexandri Vercellensis Medici, omnium compositorum et simplicium normam suo fulgore ita irradians etc. in fol., Venetiis 1565, pag. 40.

(13) Pedacii Dioscoridæ Anazarbei de medica materia etc. Coloniæ 1529, in fol., Lib. 4, Cap. 60, pag. 501.

(14) Lindestolpe, Liber de venenis, illustratus a Chr. G. Stenzel, Francofurti et Lipsiæ 1739, pag. 588.

(15) Histoire des plantes Suisses etc., Berne 1791, Tom. II, pag. 23.

(16) Usus Opii etc., Neapoli 1778, Tom. I, pag. 10.

(17) Haller et Tralles loc. cit.

(18) Coltivazione e raccolta dell' Oppio. Vid. Opuscoli scelti sulle scienze e sulle arti. Milano Tom. XXI, pag. 70 et s.

lianensis, Charas (19), Deluc (20); in Italia denique Songa apud Cisalpinos (21); Ripoli in Apulia, Carradori Florentiæ (22); apud nos tandem in oppido Vici Monregalensis Alexis Aymar (23): atque hac ratione collectum in diversis Europæ regionibus Opium nullo modo differre ab orientali, atque vix majori dosi ejusdem virtutis esse unanimiter observarunt. Alii vero ex capsulis contusis post macerationem Extractum præpararunt: et quidem vinosum Joannes de Muralto (24), et Constantius de Rebeque (25) in Helvetia, cujus dosis a gr. I ad v; aquosum vero ex siccatis capsulis Arnot Edimburgi (26), Guettard (26*), et nuperrime Delongchamps (27) Parisiis, quod quantitate duplo majori, quam Opium The-

---

(19) Murray Apparatus Medicam. Ticini 1787, Vol. II, pag. 180.

(20) Ex Carradori dissert., cui titulus: Sull'Oppio nostrale. V. Efemer. chimico-mediche, Milano 1805, semestre I.°, Tom. II, pag. 165.

(21) Vid. Ball loc. not. 18 cit.

(22) Dissert. cit.

(23) Nobis certo constat hunc ingenuum Sacerdotem, duodecim ab hinc annis, ex magnis capitibus Papaverum in proprio viridario industrie cultorum, legisse Opium; atque ab illius usu paullo majori dosi, tum in se ipso, tum in aliis, eosdem effectus ac ab Opio orientali obtinuisse.

(24) Haller loc. cit., pag. 24.

(25) Tralles loc. cit., pag. 547.

(26) Haller, Tralles, Bergius, Murray, loc. cit.

(26*) Haller, Bergius, ibid.

(27) Vid. Biblioth. médic. Tom. XXV, pag. 79 et s.

baicum præscribi solet, eadem præstare adnotarunt. Simile Extractum, Opium nostras dictum a Cl. Lieutaud a gr. II ad IV præscriptum, *non secus, ac Opium orientale, et Laudanum officinarum dolores lenit, somnum conciliat, et perspirationi favet, vomitum compescit, cuicumque alvi fluxui medetur, et prodest in sanguinis profluviis; placidius vires suas exerit, et nulla aut leviora post se trahit incommoda* (28). Nos quoque Extractum ex capsulis siccis elapsa hieme præparatum adhibuimus; atque dosi octupla eadem præstitit, quæ Extractum Opii gummosum, unde non dubitavimus cum hoc extracto Syrupum Papaveris albi præparare, qui non indiscriminatim, sed tantum ubi morbus revera Opium expostulat, est præscribendus (29).

Lactucam virosam proprietates Opii æmulas habere recte notat Cl. Allionius (30): *Papaveri similes aliquatenus vires habet*, scribit Dioscorides, *ideoque lactis liquorem qui in ea est papaverino Opio quidam commiscent . . . . In universum soporifera agrestis Lactuca est, et somno do-*

---

(28) Synopsis universæ praxeos Medicæ. Parisiis 1770, Tom. II, pag. 284.

(29) Nos ex capsulis supra ipsam plantam exsic., quales facilius haberi possunt, extractum paravimus; si vero capsulæ adultæ quidem, sed nondum maturæ colligantur, uti alii fecerunt, multo magis actuosum extractum obtinebitur, quod necessario attendendum in præscriptionibus tum extracti, tum syrupi Papaveris albi.

(30) Flora Pedemontana Tom. I, pag. 223.

*lorem sedat* (31). Ejus extractum simillimas Opii virtutes possidere asserit Gilibert (32); immo promptius, ac tutius vires suas exerere in quibusdam morbis nervosis, præsertim in asthmate convulsivo observavit Schlesinger (33); hydropi quoque mederi post Dioscoridem affirmant Collin (34), et Gilibert (35): et quidem in asthmate convulsivo præsentissimum remedium esse, nos quoque non semel observavimus. Nemo igitur nobis vitio vertat, si hujus plantæ, licet venenosæ, usum apud nos introducere tentamus; neque enim Opio magis deleteria est, cum multo majori dosi tolerari sine damno possit.

Similiter æqui bonique accipiant speramus, dum aliam plantam, etsi magis virulentam proponimus, Rhus scilicet Toxicodendron, hisce ultimis annis ad paralysim et herpetem commendatam, cujus efficacia post observationes Dufresnoy (36), Kellie et Alkerson (37), nobis quoque

---

(31) Op. cit. lib. II, pag. 272.

(32) Démonstrations élémentaires de Botanique. Édit. 4, Tom. III, pag. 21.

(33) Sperienze sull' estratto della lattuca selvaggia. Vid. Giornale della Soc. Medico-Chirurg. di Parma, Vol. VIII, pag. 63.

(34) Observationes circa morbos Part. VI; ex Murray Op. cit. Vol. VI, pag. 19.

(35) Loc. cit.

(36) Des caractères du traitement etc. de différentes maladies; Vid. Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle Tom. XXII, pag. 338.

(37) Nouveau Dictionn. d'hist. nat. loc. cit.

manifesta fuit in quibusdam hemiplecticis nostræ curæ commissis, tum in Hospitio Invalidorum, tum in Nosocomio Divi Joannis (38), tum in urbe; hos autem successus habuimus ex pulvere foliorum in horto botanico hujus Academiæ, æstivo tempore collectorum, dosi grani unius sensim aucta ad quinque et ultra quater in die: nec ab illorum usu aliquid molesti observavimus, nisi sensum formicationis in cute, præcipue ad dorsi spinam, imminuta dosi sponte cessantem. Neque in hisce tantum morbis utiliter præscripta fuit, sed vere actuosam observavit in asthmate et tussi convulsiva Carolus Pilati, Clinicus Mediolanensis, qui hujus plantæ folia in pulverem redacta cum saccharo exhibuit; et quidem a dosi grani unius paullatim ascendendo ad grana octo, decem, singulis quatuor horis, si agitur de planta in nostris viridariis culta; de exotica vero nonnisi a quarta parte grani sensim cautissime ascendendo bis, terve in die ipsam præscribere ausurum fuisse scribit (39). Licet enim jam satis numerosa videantur remedia ad indicatos morbos commendata, sæpissime tamen omnem Medici industriam elu-

---

(38) Annales de l'Observatoire de l'Académie de Turin, semestre 2.e du 1809, pag. 14.

(39) Sangiorgio. Istoria delle Piante medicate. Milano 1809, Vol. I, pag. 369. Qui plura desiderat de hujus plantæ usu medico videat Alibert, Nouveaux Élémens de Thérapeutique et de Matière médicale: Bodard, Cours de Botanique médicale comparée.

dunt, in quo casu aliud atque aliud experiri juvat, ut exoptata valetudo restituatur.

Ob eamdem rationem Cardamine pratensis flores addimus, jam sub initio ultimi elapsi sæculi ad convulsiones commendatos, circa medietatem ejusdem sæculi in spasticis et convulsivis affectionibus cum felici successu a Bacher et Lissons (40), hisce vero postremis temporibus ab Odier pari cum utilitate præscriptos, speciatim in asthmate convulsivo et chorea S. Viti (41).

Cæterum in hodierna luce satis constat Liquorem Ammoniacalem Succinatum cum Liquore Anodino minerali Hoffmann optimum Camphoræ succedaneum esse; atque veram Camphoram haberi posse juxta Gaubium (42), et Gilibert (43), ex aqua Menthæ piperitæ cohobata, et ex aliis plantis indigenis: Capsicum annuum eadem præstare ac Piper exoticum: Chenopodium Vulvariam, et Rutam graveolentem in multis casibus Assæ fœtidæ tuto substitui posse: Acaciam nostram Catechu vices gerere: capsulas et semina Veratri albi in pulverem redacta pro Sabadilla adhiberi posse, atque hunc pulverem Sabadillam Pede-

---

(40) Murray, Op. cit. Tom. II, pag. 259. Carminati Hygieni, Theurapeut. et Mater. med. Vol. II, pag. 408.

(41) Manuel de Médecine pratique pag. 122 et s.

(42) Adversariorum varii argumenti Liber unus, Leidæ 1771, pag. 99 et s.

(43) Démonstrat. élément. de Botanique Tom. II, pag. 38.

montanam ab Austriacis appellari (44): Gummata plurium nostrarum arborum, uti Pruni Padi, P. Cerasi, P. domesticæ, Amygdali Persicæ locum tenere Gummi Arabici: Terebinthinam cum omnibus Balsamis exoticis virtute convenire: pro Ipecacuanha usurpari posse radices Asari Europæi, Paridis quadrifoliæ, Eupatorii Cannabini, Euphorbiæ Cyparissias (45), Violæ odoratæ, ut silentio prætereamus bulbum Scillæ marinæ, aliaque tum ex vegetabilibus, tum præcipue ex mineralibus, quæ virtutem emeticam possident, atque Ipecacuanhæ sæpissime præferri debent. Neque minus notum est folia Fraxini excelsioris, et Amygdali Persicæ, flores Pruni sylvestris, Linum catharticum (46) jure merito pro Cassia-Senna præscribi: tum pro Gummi Gutta, Convolvulo Jalappa, aliisque purgantibus exoticis recte administrari posse Helleborum album, aut H. nigrum, Euphorbiam verrucosam, Gratiolam officinalem, Convolvulum sepium, cujus Extractum Scammonium nostras constituit; quod dupla dosi exhibitum eadem præstat ac Scammonium aleppense.

---

(44) Pharmacopœa Austriaco-Provincialis emendata, Mediolani 1794, pag. 38 et s.

(45) Hæc radix æstatis initio colligi debet: dosis a gr. XII ad gr. XVIII. Vid. Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie par Corvisart etc., Tom. XVII, pag. 284 et s.; Bulletin de Pharmacie 3.$^{e}$ année, N.° IV, pag. 170.

(46) In prima editione hujus Codicis Electuarium Lenitivum Linum Catharticum recipiebat, in hac ejus loco recipit Sennam, non quia

Hæc autem omnia a nobis commemorata sunt, ut, qui juxta hunc Codicem medicinam facere tenentur, facile intelligant, in ipso non solum contineri, quæ exotica prætermissa abunde supplent, verum etiam quæ adhuc conservantur exotica perquam raro, nec nisi urgente necessitate administranda esse.

Inter omissa in hac secunda editione recensendum est Saccharum, quo omnino carere facile potuimus, quum non nisi in paucissimis præparationibus a nobis in prima editione adhibitum fuerit, atque Syrupus uvarum dulcis, aut Mel, quoad usum medicum, illud desiderare non sinant; revera præparationes, quæ hunc Syrupum, vel Mel recipiunt, easdem virtutes habere semper observavimus, ac si Saccharum continerent(47).

---

de Lini Cathartici virtute purgante dubitari possit, cum et ejus nomen, et indubiæ fidei Auctorum multiplices observationes hanc demonstrent, sed quia, licet minime rara planta in Taurinensi Agro sit, paucissimis attamen est nota; hinc satius duxerunt pharmacopolæ Sennam substituere, quam necessaria uti diligentia, ut illam tempestive collectam haberent: quod nos tolerare coacti sumus, saltem usque dum communiter nota planta sufficienti copia haberi possit. Vid. Morison Hist. univers. plant. part. II, pag. 575; Raii Histor. plant. Tom. I, pag. 1076; Geoffroi Mater. med. Tom. III, pag. 741; Linnæi amænit. Academ. Tom. III, pag. 72, et Tom. VII, pag. 300; Haller Hist. des plant. Suiss. Tom. I, pag. 316; Coste et Villelmet Essais sur quelques plantes indigènes pag. 36; Gilibert Démonstr. élém. de Botan. Tom. II, pag. 480; Allionii Flor. Pedemont. Tom. II, pag. 110; Marabelli Apparat. medicam. p. 83.

(47) Si vero a Beta Cicla, vel ex aliis plantis Europæis saccha-

Multas profecto plantas prætermisimus a Cl. Professoribus Allionio (48), Balbis (49), aliisque tamquam valde utiles recensitas; verum illas tantum hic indicare opportunum duximus, de quorum efficacia, aut propria experientia, aut magis communi observatione nobis constitit. Quod si quis hujusmodi plantas, aut etiam alias in agro Pedemontano non infrequentes, quæ vel nunc obsoletæ sunt, vel imposterum a probatissimis observatoribus commendabuntur, experiri velit, dummodo consulto id fiat, ad incrementum Artis et Patriæ utilitatem operam suam contulisse merito gloriari poterit. Alioquin nulla forte regio in Europa plantarum medicinalium adeo ferax est, ut nostra Pedemontana, in qua et Alpes, et Montes, et Colles, et Planities, tum siccæ, tum paludosæ omnis generis vegetabilia alunt, quæ, si una cum animalibus et mineralibus, quorum hic copia non deest, a nostris Majoribus magis observata, et prudenti usu comprobata fuissent, forsitan jam nunc firmiter statutum maneret, nostram regionem, quoad Materiam Medicam aliis non indigere.

---

rum bonæ notæ sufficienti copia habeatur, quemadmodum Illorum, qui bono publico præsunt, sollicitudo promittit, atque sicuti ante Achard jam anno 1747 Berolini expertus est Margraff ( Collect. Academ. Tom. VIII, Part. étrang. pag. 130 ), tunc illud in officinis pharmaceuticis recipere opportunum erit; interim pulpa prunorum cum syrupo uvarum dulci æque supplet pulpam cassiæ, de qua pag. VII.

(48) Flora Pedemont.

(49) Annales de l'Observat. de l'Acad. de Turin pour l'an 1810.

Denique liceat nobis hic addere, omnes, tum qui internis, tum qui externis morbis medentur, dum valentissima remedia sunt præscripturi, necesse esse, ut semper præ oculis habeant aureum Hermanni Boerrhaave monitum: *prudenter a prudenti Medico abstine, si methodum nescis* (50), ut boni Medici officium adimpleant, quod, uti Medicinæ Parens præcipit, præcipuum est: *adjuvare, aut saltem non nocere* (51).

Postremo rogatos volumus omnes, qui hunc Codicem pervolvent, ut, antequam judicium de remediis in ipso descriptis proferant, ipsa experiri velint, atque experiendo videant, an Simplicia opportuno tempore collecta, et rite conservata sint, atque talia in Compositis usurpata, omniaque secundum rationem a nobis definitam accurate sint præparata; ut silentio prætereamus (quod hujus loci non est animadvertere) attente considerandas esse omnes circumstantias, sub quibus remedium administratur. Hisce omnibus scite observatis, judicium non erit fallax, neque experientia periculosa.

Die 3 mai 1811.

*Anforni, Caligaris, Costa, Rossi, Sacchetti.*

---

(50) Elementa Chemiæ, Parisiis 1733, Tom. II, pag. 312.

(51) Hippocrates. De morbis popularibus Sect. II versus finem.

# PARS PRIMA.

*CATALOGUS Medicamentorum simplicium et quorumdam præparatorum, quæ a Pharmacopola præparari non solent, sed in ejus Officina semper præsto esse debent.*

ABSINTHIUM VULGARE. *Artemisia Absinthium* L. . . . . . . Herba.
ACETOSA. *Rumex Acetosa* L. . . . . . . . . . . . . . Herba.
ACETUM VINI.
ACONITUM. *Aconitum Napellus* L. . . . . . . . . . . . Herba.
ADEPS SUIS DEPURGATUS.
ÆRUGO *sive* ÆS VIRIDE. *Oxydum cupri viride acetatum.*
AGARICUS QUERNUS *seu* CHIRURGORUM. *Boletus igniarius* L.
AGARICUS ALBUS. *Boletus laricis* L.
AGRIMONIA. *Agrimonia Eupatoria* L. . . . . . . . . . . Herba.
ALKEKENGI. *Physalis Alkekengi* L. . . . . . . . . . . . Baccæ.
ALLIUM. *Allium sativum* L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.
ALOE SOCCOTRINA. Succus inspissatus *Aloes perfoliatæ* L.
ALTHÆA. *Althæa officinalis* L. . . . . . . . . . . Radix, Folia.
ALUMEN RUPEUM. *Sulphas acidulus aluminæ cum potassa.*
AMYGDALÆ AMARÆ / DULCES } *Amygdalus communis* L. . . . . . . Nuclei.
ANGELICA SATIVA. *Angelica Archangelica* L. . . . . . . . . Radix.
SYLVESTRIS Off. et L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.
ANISUM VULGARE. *Pimpinella anisum* L. . . . . . . . . . Semina.
ANTIMONIUM CRUDUM. *Sulphuretum antimonii nativum.*
AQUA S. GENESII.
ARGENTUM.
ARISTOLOCHIA ROTUNDA Off. et L. . . . . . . . . . . . Radix.

ARNICA. *Arnica montana* L. . . . . . . . . Radix, Folia, Flores.
ARTEMISIA. *Artemisia vulgaris* L. . . . . . . . . . . . . Herba.
ARUM. *Arum maculatum* L. . . . . . . . . . . . . . . . Radix.
ASARUM. *Asarum Europæum* L. . . . . . . . . . . . Radix, Folia.
ASPARAGUS. *Asparagus officinalis* L. . . . . . . . . . . . . Radix.
ASSA FŒTIDA. Gummi-resina *Ferulæ Assæ-fœtidæ* L.
*Astragalus cicer* / *glycyphyllos* } L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.
ATRIPLEX FŒTIDA *seu* VULVARIA. *Chenopodium vulvaria* L. . . . Folia.
AVENA. *Avena sativa* L. . . . . . . . . . . . . . . . . . Semina.
AURANTIUM. *Citrus Aurantium* L. . . . . . Folia, Cortex fructuum.
AURIPIGMENTUM. *Oxydum arsenici sulphuratum flavum.*

BARDANA. *Arctium Lappa* L. . . . . . . . . . . . . . . . . Radix.
BECCABUNGA. *Veronica Beccabunga* L. . . . . . . . . . . . . Herba.
BELLADONNA. *Atropa Belladonna* L. . . . . . . . . . . Radix, Folia.
BISTORTA. *Polygonum Bistorta* L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.
BORAGO. *Borago officinalis* L. . . . . . . . . . . . . . . . Herba.
BRYONIA. *Bryonia alba* L. . . . . . . . . . . . . . . . . . Radix.
BUTYRUM VACCINUM.

CÆPA. *Allium cæpa* L. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Radix.
CALAMUS AROMATICUS. *Acorus Calamus* L. . . . . . . . . . . Radix.
CALX VIVA. *Calx.*
CAMPHORA.
CANTHARIDES.
CAPILLUS VENERIS. *Adianthum Capillus veneris* L. . . . . . . Herba.
CARDAMINE. *Cardamine pratensis* L. . . . . . . . . . . . . Flores.
CARDIACA. *Leonurus Cardiaca* L. . . . . . . . . . . . . . . Herba.
CARDUUS BENEDICTUS. *Centaurea benedicta* L. . . . . . . . . Herba.
STELLATUS *seu* CALCITRAPA. *Centaurea calcitrapa* L. Herba, Semen, Cortex radicis.

CARYOPHYLLATA. *Geum urbanum* L. . . . . . . . . . . Radix.
CENTAURIUM MINUS. *Gentiana Centaurium* L. . . . . . . . Herba.
CERA CITRINA.
CERASUS NIGRA SYLVESTRIS. *Prunus avium* L. . . . . . . . Fructus.
CEREFOLIUM. *Scandix Cerefolium* L. . . . . . . . . . . Herba.
CERUSSA *Oxydum plumbi album acetatum.*
CHAMÆDRYS. *Teucrium Chamædrys* L. . . . . . . . . . . Herba.
CHAMÆMELUM VULGARE. *Matricaria Chamomilla* L. . Herba, Flores.
CHAMÆPITYS. *Teucrium Chamæpitys* L. . . . . . . . . . . Herba.
CHINA-CHINA. *Cinchona officinalis* L. . . . . . . . . . . Cortex.
CICHORIUM. *Cichorium Intybus* L. . . . . . . . . Radix, Herba.
CICUTA MAJOR. *Conium maculatum* L. . . . . . . . . . . Herba.
COCHLEARIA HORTENSIS. *Cochlearia officinalis* L. . . . . . . Herba.
COLCHICUM. *Colchicum autumnale* L. . . . . . . . . . . Radix.
COLOPHONIA.
COLUTEA. *Colutea arborescens* L. . . . . . . . . . . . . Folia.
CONSOLIDA REGALIS. *Delphinium Consolida* L. . . . . . . . Semina.
CONVOLVULUS MAJOR. *Convolvulus Sepium* L. . . . . . . . . Herba.
CREMOR TARTARI. *Tartris potassæ acidulus.*
CRETA ALBA. *Carbonas calcis nativus.*
CROCUS. *Crocus sativus* L. . . . . . . . . . . . . . Stigmata.
CUCURBITA. *Cucurbita pepo* L. . . . . . . . . . . . . Semina.
CYNOGLOSSUM. *Cynoglossum officinale* L. . . . . . . . . . Radix.
CYNORRHODON. *Rosa canina* L. . . . . . . . . . . . . Fructus.

DAUCUS SATIVA. *Daucus Carota* L. . . . . . . . . . . . Radix.
*Digitalis ambigua* W. . . . . . . . . . }
*epiglottis* Scanag., *seu Lanata* W. } . . . . . . . . Folia.
*lutea* L. . . . . . . . . . }
*purpurea* L. . . . . . . . . . }
DULCAMARA. *Solanum Dulcamara* L. . . . . . . . . . . Stipites.

EBULUS. *Sambucus Ebulus* L. Radix, Folia, Flores, Baccæ, Semina, Cortex interior.

ENULA CAMPANA. *Inula Helenium* L. . . . . . . . . . . . Radix.

ERYNGIUM. *Eryngium campestre* L. . . . . . . . . . . . Radix.

ERYSIMUM *Erysimum officinale* L. . . . . . . . . Herba, Semen.

EUPATORIUM. *Eupatorium cannabinum* L. . . . . . . . . . Herba.

*Euphorbia cyparissias* / *verrucosa* } L. . . . . . . . . . . . . . Radix.

EUPHORBIUM. Gummi-resina *Euphorbiæ officinalis* L.

FARFARA. *Tussilago Farfara* L. . . . . . . . . . Herba, Flores.

FEL TAURI.

FERRUM.

FILIX MAS. *Polypodium Filix mas* L. . . . . . . . . . . . Radix.

FŒNICULUM DULCE. *Anethum Fœniculum* L. . . . . . Radix, Semina.

FŒNU-GRÆCUM. *Trigonella Fœnum græcum* L. . . . . . . . Semina.

FRAGARIA. *Fragaria vesca* L. . . . . . . . . . . . Radix, Herba.

FRAXINUS. *Fraxinus excelsior* L. . . . . . . . . . . Folia, Cortex.

FUMARIA. *Fumaria officinalis* L. . . . . . . . . . . . . . Herba.

GALBANUM. Gummi-resina *Bubon Galbani* L.

GENEPI { *Artemisia rupestris* L. / *glacialis* L. / *Boccone* All. } . . . . . . . . . Herba.

GENTIANA RUBRA. *Gentiana lutea* L. . . . . . . . . . . . Radix.

GLUTEN. *Gelatina animalis concreta.*

GRAMEN { *Panicum Dactylon* L. / *Triticum repens* L. } . . . . . . . . . . Radix.

GRATIOLA. *Gratiola officinalis* L. . . . . . . . . . . . . . Herba.

GUAJACUM *seu* LIGNUM SANCTUM *Guajacum officinale* L. . . . Cortex, Lignum, Gummi-resina.

GUMMI AMMONIACUM. Gummi-resina plantæ incertæ.

GUMMI ARABICUM. Gummi *Mimosæ niloticæ* L.

GUTTA. Gummi-resina *Gambogiæ Guttæ* L.

NOSTRAS. Gummi selectum *Pruni Cerasi* L., *P. domesticæ*, *P. armeniacæ*, *Amygdali Persicæ*.

HEDERA ARBOREA. *Hedera Helix* L. . . . . . . . . . . . Folia.

TERRESTRIS. *Glecoma hederacea* L. . . . . . . . Herba.

HELLEBORUS ALBUS. *Veratrum album* L. . . . . . . Radix, Semen.

NIGER Off. et L. . . . . . . . . . . . . . Radix.

HERBA PARIS. *Paris quadrifolia* L. . . . . . . . . . . Radix.

HIPPOCASTANUM. *Æsculus Hippocastanum* L. . . . Cortex ramorum.

HIRUDINES.

HORDEUM. *Hordeum dysticum* L. . . . . . . . . . . . . Semina.

HYOSCIAMUS. *Hyosciamus niger* L. . . . . . . . . Folia, Semina.

HYPERICUM. *Hypericum perforatum* L. . . . . . Summitates floridæ.

HYSSOPUS. *Hyssopus officinalis* L. . . . . . . . . . . . Herba.

IMPERATORIA. *Imperatoria Ostruthium* L. . . . . . . . . Radix.

IPECACUANHA. { *Psychotria emetica* L. / *Callicocca Ipecacuanha* Brot. } . . . . . Radix.

IRIS FLORENTINA. Off. et L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.

JACEA *seu* HERBA TRINITAS. *Viola tricolor* L. . . . . . . . Herba.

NIGRA PRATENSIS. *Centaurea nigra* L. . . . . . . . Herba.

JALAPPA. *Convolvulus Jalappa* L. . . . . . . . . . . . . Radix.

JUGLANS. *Juglans regia* L. . . . . . Cortex fructus exterior viridis.

JUNIPERUS. *Juniperus communis* L. . . . . . . . Lignum, Baccæ.

LAC VACCINUM.

LACTUCA. *Lactuca sativa* L. . . . . . . . . . . . . . . . Herba.

SYLVESTRIS. *Lactuca virosa* L. . . . . . . . . . Herba.

LAPATHUM ACUTUM. *Rumex acutus* L. . . . . . . . . . . Radix.

LAURUS. *Laurus nobilis* L. . . . . . . . . . Folia, Baccæ.
LAVANDULA. *Lavandula Spica* L. . . . . . . . . . . Flores.
LIMON. *Citrus Medica* L. . . . . . . . . . . . Folia, Fructus.
LINUM CATHARTICUM. Off. et L. . . . . . . . . . . . Herba.
SATIVUM. *Linum usitatissimum* L. . . . . . . . . Semina.
LIQUIRITIA. *Glycyrrhiza glabra* L. . . . Radix, Succus concretus.
*Liriodendrum Tulipifera* L. . . . . . . . . . . Cortex ramorum.
LITHARGYRUS. *Oxydum plumbi semivitreum.*
LUPULUS. *Humulus Lupulus* L. . . . . . . . . . Radix, Strobili.
LYCOPODIUM. *Lycopodium clavatum* L. . . . . . Pulvis, *seu* Pollen.
LYSIMACHIA PURPUREA. *Lythrum Salicaria* L. . . . . . . . Herba.

MAGNESIUM NIGRUM. *Oxydum magnesii nigrum.*
MAJORANA. *Origanum Majorana* L. . . . . . . . . . . Herba.
MALVA VULGARIS { *Malva rotundifolia* / *sylvestris* } L. . . . Folia, Flores.
MARRUBIUM ALBUM. *Marrubium vulgare* L. . . . . . . . Herba.
MEDULLA PANIS ALBI.
MEL COMMUNE.
MELILOTUS. *Trifolium Melilotus officinalis* L. . . . . Herba, Flores.
MELISSA. *Melissa officinalis* L. . . . . . . . . . . . Herba.
MELO. *Cucumis Melo* L. . . . . . . . . . . . . . Semina.
MENTHA CRISPA Off. et L. . . . . . . . . . . . . . . Herba.
PIPERITIS. *Mentha piperita* L. . . . . . . . . . . Herba.
SYLVESTRIS Off. et L. . . . . . . . . . . . . Herba.
MERCURIALIS. *Mercurialis annua* L. . . . . . . . . . . Herba.
MERCURIUS. *Hydrargyrum.*
PRÆCIPITATUS RUBER. *Oxydum hydrargyri rubrum.*
SUBLIMATUS CORROSIVUS. *Murias hydrargyri supra-oxydati.*
MEZEREUM. *Daphne Mezereum* L. . . . . . . . . Radix, Cortex.
MILLEFOLIUM. *Achillea Millefolium* L. . . . . . . . . . Herba.
MUSCUS ISLANDICUS. *Lichen Islandicus* L. . . . . . . . Herba.
PYXIDATUS. *Lichen pyxidatus* L. . . . . . . . . Herba.

MYRRHA. Gummi-resina plantæ incertæ.

NASTURTIUM AQUATICUM. *Sisymbrium Nasturtium* L. . . . . . Herba.
NICOTIANA. *Nicotiana Tabacum* L. . . . . . . . . . . . . Folia.
NITRUM. *Nitras potassæ impurus.*
NYMPHŒA ALBA Off. et L. . . . . . . . . . . . . . . . Flores.

*Olea Europea* L. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Folia.
OLEANDER. *Nerium Oleander* L. . . . . . . . . . . . . Folia.
OLEUM CITRI CORTICUM ESSENTIALE, seu *volatile.*
NUCUM JUGLANDIUM.
OLIVARUM.
SUCCINI FŒTIDUM.
VITRIOLI. *Acidum sulphuricum.*
OLIBANUM, *seu* THUS. Gummi-resina *Juniperi Lyciæ* L. ?
ONONIS. *Ononis spinosa* L. . . . . . . . . . . Radix, Herba.
OPIUM. Succus concretus capitum *Papaveris somniferi* L.
ORYZA. *Oryza sativa* L. . . . . . . . . . . . . . . . Semina.
OSMUNDA. *Osmunda regalis* L. . . . . . . . . . . . . . Radix.
OSSA ANIMALIUM.
OVA GALLINACEA.

PADUS. *Prunus Padus* L. . . . . . . . . . . Cortex ramorum.
PAPAVER ALBUM. *Papaver somniferum* L. . Capsulæ, *vulgo* Capita, Semina.
RUBRUM, *sive* ERRATICUM. *Papaver Rhoeas* L. . . Flores.
PARIETARIA. *Parietaria officinalis* L. . . . . . . . . . Herba.
PENTAPHYLLUM. *Potentilla reptans* L. . . . . . . . . . Radix.
PERSICA. *Amygdalus persica* L. . . . . . . . . . Folia, Flores.
PETROLEUM.
PETROSELINUM. *Apium Petroselinum* L. . . . . . . Radix, Semina.
PEUCEDANUM. *Peucedanum officinale* L. . . . . . . . . . Radix.

Pinus. *Pinus sylvestris* L. . . . . . . . . . Turiones, Resina.
Piper indicum. *Capsicum annuum* L. . . . . . . . . Fructus.
Pix burgundica. Resina *Pinus piceæ* L.
 navalis, *seu* liquida. Oleum empyreumaticum *Pinus sylvestris* L.
Plantago latifolia. *Plantago major* L. . . . . . . . . Herba.
Plumbum.
Polygala amara. Off. et L. . . . . . . . . . . . . Radix.
 vulgaris. Off. et L. . . . . . . . . . . . . Radix.
Polygonum, *seu* Centinodia. *Polygonum aviculare* L. . . Herba.
Polypodium. *Polypodium vulgare* L. . . . . . . . . . . Radix.
Prunus damascena. *Prunus domestica* L. . . . . . . . . Fructus.
 sylvestris. *Prunus spinosa* L. Cortex, Folia, Flores, Fructus.
Pulegium. *Mentha Pulegium* L. . . . . . . . . . . . Herba.
Pulsatilla. *Anemone Pulsatilla* L. . . . . . . . . . . Herba.

Quercus. *Quercus Robur* L. . Cortex ramorum, Glandes, Gallæ.

Rapa. *Brassica Rapa* L. . . . . . . . . . . . . . . Radix.
Raphanus rusticanus. *Cochlearia Armoracia* L. . . . . . Radix.
Rhabarbarum monachorum. *Rumex alpinus* L. . . . . . Radix.
Rhabarbarum verum. { *Rheum palmatum* / *undulatum* } L. . . . . Radix.
Rhamnus catharticus Off. et L. . . . . . . . . . . . Baccæ.
Rhaponticum. *Rheum Rhaponticum* L. . . . . . . . . . Radix.
*Rhus toxicodendron* L. . . . . . . . . . . . . . . . Folia.
Rosa pallida. *Rosa centifolia* L. . . . . . . . . . . Flores.
 rubra. *Rosa Gallica* L. . . . . . . . . . . . . . Flores.
Rosmarinus hortensis. *Rosmarinus officinalis* L. Summitates floridæ.
Rubia. *Rubia tinctorum* L. . . . . . . . . . . . . . Radix.
Rumex hortensis *seu* patientia. *Rumex patientia* L. . . . Radix.
Ruta hortensis. *Ruta graveolens* L. . . . . . . . . . Herba.

SAL AMMONIACUS. *Murias ammoniacæ.*

SAL CATHARTICUS AMARUS. *Sulphas magnesiæ.*

SAL MARINUS *seu* COMMUNIS. *Murias sodæ impurus.*

SALIX VULGARIS. *Salix alba* L. . . . . . . . . Cortex ramorum.

*Salix viminalis.* L. . . . . . . . . . . . . . . . Cortex.

SALVIA. *Salvia officinalis* L. . . . . . . . . . . . . Herba.

SAMBUCUS. *Sambucus nigra* L. Cortex interior, Folia, Flores, Baccæ.

SAPO VULGARIS PURUS. *Sapo ex oleo olivarum et soda.*

SAPONARIA. *Saponaria officinalis* L. . . . . . . . . Radix, Herba.

SARSAPARILLA GERMANICA. *Carex arenaria* L. . . . . . . . Radix.

SASSAFRAS. *Laurus sassafras* L. . . . . . . . . . . . . Lignum.

SCILLA, *seu* SQUILLA. *Scilla maritima* L. . . . . . . . . . Radix.

SCORDIUM. *Teucrium Scordium* L. . . . . . . . . . . . . Herba.

SEBUM OVILLUM DEPURGATUM.

SECALE. *Secale cereale* L. . . . . . . . . . . . Farina Seminum.

SEDUM MAJUS *seu* SEMPERVIVUM. *Sempervivum tectorum* L. . . . Folia.

SENNA ITALICA. *Cassia Senna* L. . . . . . . . . . . . . Folia.

SERPYLLUM. *Thymus Serpyllum* L. . . . . . . . . . . . . Herba.

SERUM LACTIS VACCINI.

SINAPI. *Sinapis nigra* L. . . . . . . . . . . . . . . . Semina.

SODA HISPANICA. *Carbonas Sodæ impurus.*

SOLANUM VULGARE. *Solanum nigrum* L. . . . . . . . . . . Folia.

*Solanum tuberosum* L. . . . . . . . . . . . . . . . . . Radix.

SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

VINI RECTIFICATUS. *Alkohol vini dilutus.*

SPONGIA. *Spongia officinalis* L.

STANNUM PURUM.

STAPHISAGRIA. *Delphinium Staphisagria* L. . . . . . . . . Semina.

SULPHUR CITRINUM. *Sulphur fusum.*

SULPHURIS FLORES. *Sulphur sublimatum.*

SYRUPUS UVARUM DULCIS.

SUBACIDUS *seu* SAPA.

TANACETUM. *Tanacetum vulgare* L. . . . Herba, Flores, Semina.
TARAXACUM. *Leontodon Taraxacum* L. . . . . . . . Radix, Herba.
TARTARUM CRUDUM. *Tartris potassæ acidulus impurus.*
TEREBINTHINA. Resina *Pinus Laricis* L.
THYMUS VULGARIS Off. et L. . . . . . . . . . . . . Herba.
TILIA. *Tilia europæa* L. . . . . . . . . . . . . . . Flores.
THYMELÆA. *Daphne Gnidium* L. . . . . . . . . . . . Cortex.
TORMENTILLA. *Tormentilla erecta* L. . . . . . . . . . . Radix.
TRIFOLIUM FIBRINUM. *Menyanthes trifoliata* L. . . . . . . Herba.
TRITICUM. *Triticum æstivum* L. . . . . . . . . Farina Seminum.
TUTHIA. *Oxydum Zinci.*

ULMUS. *Ulmus campestris* L. . . . . . . Cortex ramorum inferior.
URTICA MAJOR. *Urtica dioica* L. . . . . Radix, Herba, Semina.
UVA URSI. *Arbutus Uva ursi* L. . . . . . . . . . . . . Folia.

VALERIANA SYLVESTRIS. *Valeriana officinalis* L. . . . . . . . Radix.
VERBASCUM. *Verbascum Thapsus* L. . . . . . . . . . . Flores.
VERONICA. *Veronica officinalis* L. . . . . : . . . . . . Herba.
VINCETOXICUM. *Asclepias Vincetoxicum* L. . . . . . . . . Radix.
VINUM ALBUM.
RUBRUM.
VIOLA MARTIA. *Viola odorata* L. . . . . . . . . . Radix, Flores.
VISCUM QUERNUM. *Viscum album* L. . . . . . Lignum cum cortice.
VITRIOLUM ALBUM. *Sulphas Zinci*
CÆRULEUM. *Sulphas Cupri.*
VIRIDE. *Sulphas Ferri.*

ZINCUM.

# PARS SECUNDA.

*MEDICAMINA quæ a Pharmacopœo præparari et in ejus Officina servari debent.*

Asteriscus * præfigitur illis quæ facile et brevi obsolescunt.

### ACETUM AROMATICUM CAMPHORATUM.

℞. Herbarum Absinthii
Menthæ crispæ
Salviæ
Rutæ hortensis
Florum Lavandulæ
Summitatum Rosmarini
siccatorum ana . . unciam unam et semis (*gramm.* 38, 4)
Radicum Angelicæ
Calami aromatici
siccatarum ana . . unciam semis . . . . . . . (*gramm.* 12, 8)
Camphoræ . . . . . . . . unciam . . . . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Aceti acerrimi. . . . . . libras octo (*kilogramm.* 2, *gramm.* 458, 9)

Radices contusas digere cum aceto in vase vitreo probe clauso, per dies tres; tunc adde herbas, flores, et summitates minutim concisas, atque iterum digere per biduum: postea cola cum forti expressione. Colaturæ per chartam trajectæ misce camphoram in quantitate sufficienti spiritus vini solutam. In lagenis vitreis probe obturatis asserva.

### ACETUM COLCHICUM.

℞. Radicum recentium Colchici unciam (*gramm.* 25, 6)
Aceti acerrimi . . . . . . . . . . libram (*gramm.* 307, 3)
Spiritus vini rectificati . . . . . unciam semis (*gramm.* 12, 8)

Radices vere collectas (1), in taleolas concisas, cum aceto digere in vase vitreo clauso, per duos dies; refrigeratum liquorem cum debili expressione cola: colaturæ per chartam trajectæ adde vini spiritum. In ampulla vitrea clausa serva pro conficiendo Oxymellite, et pro usu externo.

### ACETUM CONCENTRATUM.

Acetum optimum in vase lapideo, vel ligneo aperto, intenso frigori exponatur ad congelationem; perfracta glacie, fluidum quod remanet iterum frigori exponatur: atque id repetatur donec dimidia aceti pars in glaciem conversa fuerit. Fluidum residuum in cucurbitam vitream effunde, atque destilla balneo arenæ, vitando empyreuma. Liquorem destillatum repone in lagenis vitreis probe clausis.

### ACETUM DESTILLATUM.

In retortam vitream immisso aceto optimo, modico igne arenæ,

---

(1) Vere collectæ radices Colchici, amaræ, ingratæ, valde acres, atque halitu nauseosæ nares leniter stimulant; autumno farinam sapiunt, aut sine ulla acritudine dulcescunt, virtuteque carent: quod unus ex nobis, in Hospitio Charitatis Taurin., expertus est, dum tempore autumnali paratum Acetum et Oxymel Colchicum vix aliquid boni præstitit. Vid. *Carminati* Mat. med. Vol. IV. pag. 84, *Murray* appar. med. Tom. V pag. 143 et seq., *Bergii* Mat. med. Tom. I pag. 306.

sexta circiter pars eliciatur, projicienda; mutato excipulo protrahatur destillatio usque dum liquor in retorta syrupi consistentiam exhibeat, et acetum elicitum empyreumaticum prodire incipiat. Acetum destillatum in vitreis vasis probe clausis serva.

## Acetum saturni.

*Acetas plumbi dilutus.*

℞. Lithargyri . . . . . libram . . . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aceti optimi . . . libras quatuor (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)

Acetum lithargyro pulverato mixtum in vase vitreo, aut figulino probe vitreato, leni calore evapora, bacillo ligneo sæpe agitando, ad dimidiæ partis consumptionem; tum per chartam trajice, et in vasis vitreatis clausis reconde.

Residuum solvi in aceto iterum potest, atque idem processus repeti usque ad plenam lithargyri dissolutionem.

## Acetum scilliticum.

℞. Scillæ recenter exsiccatæ uncias octo . . . . . (*gramm.* 204, 9)
Aceti optimi . . . . . . . libras octo (*kilogr.* 2, *gramm.* 458, 9)
Spiritus vini rectificati . uncias quatuor. . . (*gramm.* 102, 4)

Scillam concisam in lagena vitrea probe clausa, per dies quindecim, cum aceto digere, sæpius vas agitando: cola et exprime; post subsidentiam decanta, atque addito vini spiritu serva in vase vitreo clauso.

*Acidum muriaticum oxygenatum.*

℞. Salis communis decrepitati uncias octo (*gramm.* 204, 9)
Magnesii nigri . . . . . . . . uncias tres (*gramm.* 76, 8)
Olei vitrioli . . . . . . . . . uncias quatuor (*gramm.* 102, 4)
Aquæ communis . . . . . . . uncias duas (*gramm.* 51, 2)

Sal communis et magnesium nigrum in pulverem redacta probe misceantur, et immittantur in matracium vitreum; superaffundatur oleum vitrioli, aqua antea caute dilutum et refrigeratum: matracio statim adaptetur Apparatus Wolfianus, et juncturæ probe obstruantur; in hujus prima lagena adsint aquæ communis destillatæ libræ sex (*kilogramm.* 1, *gramm.* 844, 2), eaque continuo refrigeretur: quum nulli amplius vapores ascendant, matracio admoveatur lenis caloris gradus, et continuetur destillatio, donec vapores prodire cessent. Liquorem in lagena Apparatus Wolfiani contentum post destillationem reconde in vitreis phialis, epistomio vitreo perpolito clausis, et opaco indusio obductis

## ÆTHER VITRIOLICUS.

*Æther sulphuricus.*

℞. Olei vitrioli . . . . . libras duas . . . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Spiritus vini
rectificatissimi . . . . libras quatuor (*kilogr.* 1., *gramm.* 229, 4)
Aquæ communis
destillatæ . . . . . . . uncias tres . . . . . . . (*gramm.* 76, 8)

In retortam vitream immisso vini spiritu paullatim affunde oleum vitrioli; retortæ balneo arenæ impositæ apta excipulum amplum, juncturisque probe obturatis, admoveatur ignis ut liquor lenissime bulliat: protrahatur destillatio cum eodem ignis gradu donec albi vapores apparere incipiant, excipulum linteis aqua frigida madidis assidue obvolvendo. Destillatum liquorem, pauxillo olei tartari adjecto, rectifica ad medias; huic liquori rectificato adde aquam destillatam: atque Ætherem ab aqua per quietem separatum transfunde in parvis phialis, epistomio vitreo perpolito clausis, earumque ori vesicam spiritu vini madefactam superadde.

Liquorem ab Ætheris rectificatione superstitem destillando, habebis LIQUOREM ANODYNUM MINERALEM *Hoffmann*, eodem modo servandum.

Prioris autem destillationis residuo si addatur vini spiritus, destillando et rectificando ut supra, obtinebis adhuc Ætherem et Liquorem anodynum.

## ÆTHIOPS ANTIMONIALIS.

*Sulphuretum hydrargyri antimoniatum.*

℞. Antimonii præparati . . . . unciam . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Mercurii purificati . . . . . unciam semis . . . (*gramm.* 12, 8)
Sulphuris citrini . . . . . . drachmas duas . . (*gramm.* 6, 4)

Simul omnia in mortario porphyretico, pistillo simili, tamdiu terantur donec globuli mercuriales omnino disparuerint, et habeatur pulvis æqualis in vase vitreo clauso servandus.

## ÆTHIOPS MINERALIS.

*Sulphuretum hydrargyri nigrum.*

℞. Mercurii depurgati uncias duas . . . . . . . . (*gramm.* 51, 2)
Florum Sulphuris . unciam unam et semis (*gramm.* 38, 4)

In mortario marmoreo vel vitreo, diu terendo, commisceantur donec globuli mercuriales prorsus nulli appareant. Pulverem subnigri coloris sic obtentum in vitro clauso reconde.

## ALKALI MINERALE, *seu* SODA PURIFICATA.

*Carbonas sodæ.*

Sodam hispanicam, in efflorescentiam delapsam, solve in sufficienti quantitate aquæ communis; solutionem convenienter evapora, dein per chartam trajectam in frigido loco repone ut fiant cry-

stalli, quas supra chartam emporeticam exsiccatas in vitrea pyxide clausa serva.

ALKALI VEGETABILE SICCUM, *sive* SAL TARTARI.

*Carbonas potassæ alkalinulus.*

Tartarum crudum charta madida involutum, et prunis impositum ad albedinem uratur; tum fiat lixivium, quod per chartam trajectum effunde in vas cupreum stanno obductum, et igne moderato evapora ad siccitatem perfectam, massam spathula lignea agitando, ne fundo vasis adhæreat. Sal obtentus adhuc calidus mittatur in vas vitreum, epistomio vitreo perpolito clausum (2).

ALKALI VOLATILE SICCUM.

*Carbonas ammoniacæ.*

℞. Salis ammoniaci . . . . . . uncias quatuor . . (*gramm.* 102, 4)
tartari . . . . . . . . . uncias sex . . . . . (*gramm.* 153, 6)

Pulverata et mixta indantur cucurbitæ vitreæ, arenæ balneo impositæ, atque adjecto capitello cum excipulo, juncturis ope vesicæ probe clausis, sufficienti igne sublimetur sal, capitellum et excipulum cum linteis madefactis frigida servando. Salem sublimatum repone in phialis optime clausis.

ALUMEN USTUM.

*Sulphas acidulus aluminæ cum potassa exsiccatus.*

In terreo vase non vitreato tamdiu comburatur alumen, donec

---

(2) Hic sal sufficit pro salibus fixis Absinthii, Centaurii minoris, ceterisque per incinerationem obtentis ex quacumque planta, maritimis exceptis.

massam opacam, albam, levem, spongiosam, friabilem exhibeat; tunc statim removeatur ab igne, ne etiam acidum diffletur. Serva in vase clauso, et loco sicco.

### Antimonium præparatum.

*Sulphuretum antimonii pulveratum.*

Antimonium crudum in mortario ferreo pulveratum supra porphyritem leviga; deinde cum magna aquæ quantitate permisce et agita: aquam turbidam decanta, et in vase idoneo repone. Superstitem materiam iterum contere, aquam denuo superaffunde, agita, et aquam turbidam priori commisce; idque toties repete donec omnem materiam exhauseris. Aquam omnem affusam, post subsidentiam, decanta. Pulverem in fundo vasis remanentem exsicca, et serva.

### Aqua anisi Seminum.

℞. Seminum anisi libras tres . . . . . . . (*gramm.* 922, 1)
- Aquæ communis libras quadraginta (*kilogr.* 12, *gramm.* 294, 8)

Macera per nycthemerum, deinde destilla libras triginta (*kilogr.* 9, *gramm.* 221) circiter. Serva in lagenis vitreis bene obturatis.

Eodem modo destillatur Aqua fœniculi Seminum.

### Aqua aurantii Foliorum.

℞. Foliorum Aurantii (3)
recentium . . . . libras decem . (*kilogr.* 3, *gramm.* 73, 7)
Aquæ communis . libras triginta (*kilogr.* 9, *gramm.* 221, 1).

(3) Citri medicae L. folia adhiberi possunt pro foliis Aurantii.

Folia contusa macera per diem et noctem, postea ex alembico aquam elice, atque stillare sinito usque dum illa odoris expers prodire incipiat. In lagenis vitreis clausis serva.

Ita parantur AQUÆ ex herbis HYSSOPI.
MELISSÆ.
MENTHÆ CRISPÆ.
PIPERITIS.
SALVIÆ.
TANACETI.

### * AQUA CALCIS.

℞· Calcis vivæ recenter ustæ libram . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aquæ communis . . . . . . libras decem (*kilogr.* 3, *gramm.* 73, 7)

In patinam terream vitreatam immissæ calci successive affundatur aqua, bacillo ligneo subinde misceantur; tum subsidente calce aquam decanta, per chartam cola, atque in vitreis lagenis probe clausis repone.

Calx in fundo patinæ remanens eodem modo pertractata novam aquam calcis suppeditat priori non dissimilem.

### AQUA CERASORUM NIGRORUM.

Cerasa nigra sylvestria, matura premantur in vase idoneo; incepta fermentatione prælo exprimatur succus, qui destilletur ad tertiàs. Nuclei contundantur, et cum sufficienti quantitate ipsius aquæ destillatæ redigantur in emulsionem, cum qua reliquum aquæ commisceatur, atque maris balneo rectificetur. Aquam sic rectificatam in lagenis vitreis bene clausis reconde.

### AQUA CHAMÆMELI Florum.

℞· Florum Chamæmeli
recentium . . . . libras decem (*kilogr.* 3, *gramm.* 73, 7)

Aquæ communis . . libras triginta ( *kilogr.* 9 , *gramm.* 221 , 1 )

Flores post brevem insolationem macera per horas octo in aqua; deinde destilla et elice libras vigintiquatuor, quas in vasis vitreis aut vitreatis clausis asserva.

Sic destillantur, sed sine insolatione,

Flores Rosarum pallidarum (4).

Sambuci.

## Aqua communis destillata.

Aquam communem destilla ad medietatem; duas, tresve libras primo eductas rejice, ceteras in œnophoris clausis serva.

## Aqua Juniperi Baccarum.

℞. Baccarum Juniperi

exsiccatarum . . libras tres . . . . . . . . . ( *gramm.* 922 , 1 )

Aquæ communis . libras triginta ( *kilogr.* 9 , *gramm.* 221 , 1 )

Baccæ contusæ in aqua macerentur, donec fermentationis signa appareant; tunc statim destillentur usque dum oleum una cum aqua prodire desinat: oleo ope infundibili separato, aquam repone in lagenis vitreatis clausis.

## Aqua Lactucæ.

℞. Herbæ Lactucæ recentis libras decem ( *kilogr.* 3 , *gramm.* 73 , 7 )

Aquæ communis . . . libras viginti ( *kilogr.* 6 , *gramm.* 147 , 4 )

Destilla ad medias circiter, et serva in vasis vitreis aut vitreatis clausis.

Simili modo paratur Aqua Plantaginis.

---

(4) Residuum ex hac destillatione servari debet pro conficiendo Melle Rosato solutivo.

## * Aqua mephitica.

*Acidum carbonicum aqua dilutum.*

Habeas vasculum duplici apertura præditum; ex una discedat tubus recurvus, cujus extremitas sursum reflexa inseratur in os lagenæ rotundæ, et satis fortis, aqua communi repletæ, atque ita collocatæ, ut ejus fundus sursum respiciat, collum deorsum, quod in suppositæ pelvis aqua immersum sit. Cretam pulveratam in vasculum immitte, atque, hujus junctura cum tubo recurvo probe obstructa ope vesicæ, per alteram aperturam vasculi, statim claudendam, affunde pedetentim spiritum vitrioli: gas acidum carbonicum per tubum in lagenam ascendet, atque aqua eadem proportione descendet in subjecta pelvi; cum lagena gas impleta fuerit ad duas tertias partes, remove tubum ab illius ore, eamque sub aqua subere obtura, et sic serva ut ejus orificium sit semper sub aqua. Lagenam agitando gas aquæ miscebitur.

## * Aqua Mephitico-alkalina.

*Carbonas acidulus sodæ aqua dilutus.*

℞. Sodæ purificatæ . . . . . . . . . . . drachmam (*gramm.* 3, 2)
Aquæ communis destillatæ . . . . libram . . (*gramm.* 307, 3)

Cum eodem apparatu et processu antecedentis præparationis, gas acido carbonico omnino impleatur lagena trium aquæ librarum (*litr.* 1 *circiter*) capax; tunc soda aqua destillata soluta in lagenam celeriter intrudatur, eaque statim obturata servetur cum collo in aqua immerso. Quando opus fuerit succutiatur lagena, ut gas optime solutioni misceatur.

## Aqua picis navalis, *seu* Aqua tedæ.

℞. Picis liquidæ . . . . libram . . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aquæ communis . . libras quatuor (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)

Misceantur in patina terrea vitreata, auferendo impuritates innatantes, continuo agita lignea spathula, per horam et ultra: tunc, vase cooperto, per triduum quiescere sine; postea decanta, et per chartam trajice. Aquam citrini coloris, sic paratam, in lagenis vitreis clausis asserva.

### Aqua vulneraria, *sive* Theden.

℞. Aceti optimi
Spiritus vini rectificati ana libram unam et semis (*gramm.* 461 )
vitrioli . . . . . . uncias sex . . . . . . (*gramm.* 153, 6)

In matracio vitreo satis amplo, partitis vicibus, affunde spiritum vitrioli supra vini spiritum, postea adde acetum, et agita ad mixtionem promovendam. In phiala epistomio vitreo perpolito clausa serva.

### Collyrium Lanfranchi.

℞. Auripigmenti . . . . . . . . drachmas duas . . . (*gramm.* 6, 4)
Viridis æris . . . . . . . . . drachmam . . . . . . (*gramm.* 3, 2)
Myrrhæ
Aloes . ana . . . . . . . . . scrupulos duos . . . (*gramm.* 2, 1)
Vini albi . . . . . . . . . . libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aquæ destill. Plantaginis
Rosarum ana uncias tres . . . . . (*gramm.* 76, 8)

Auripigmentum, viride æris, aloem et myrrham seorsim pulverata commisce; atque in matracio positis, frequenter succutiendo, affunde paullatim vinum, postea aquas destillatas: denique in phialam transfunde, et clausam serva pro usu externo.

## Crocus Martis.

*Oxydum ferri rubrum carbonatum.*

Vitriolum viride purificatum solve in sufficienti quantitate aquæ communis; solutioni per chartam trajectæ affunde pedetentim oleum tartari per deliquium, donec ab ejus effusione non amplius turbetur liquor. Præcipitatum collige, ablue, exsicca in aere libero, et include in vase vitreo.

## Electuarium Diascordium.

℞. Herbæ Scordii exsiccatæ uncias sex . . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Radicum Gentianæ
Angelicæ
siccatarum ana . . drachmas quatuordecim (*gramm.* 44, 8)
Opii . . . . . . . . . . . drachmas sex . . . . . . (*gramm.* 19, 2)
Syrupi corticum Citri . . uncias quadraginta (*kilogr.* 1, *gramm.* 24, 5)
Vini rubri generosi . quantum satis.

Opium pulveratum, vino probe mixtum, cum syrupo parum calefacto optime subigatur; deinde paullatim inspergantur pulveres herbarum et radicum, bacillo ligneo omnia simul diligenter miscendo, ut fiat Electuarium uniforme (5) in fictili vitreato clauso servandum.

## * Electuarium lenitivum.

℞. Pulpæ Prunorum
Mellis despumati . ana . . . libras duas . . . . (*gramm.* 614, 7)
Foliorum Sennæ . . . . . . . uncias sex . . . . (*gramm.* 153, 6)
Cremoris Tartari . . . . . . . uncias quatuor . . (*gramm.* 102, 4)

---

(5) Drachma hujus Electuarii continet fere granum Opii.

Melli et pulpæ leni calore mixtis paullatim adde sennam et cremorem tartari in pulverem redacta; atque rudicula lignea assidue agitando omnia optime misceantur in Electuarium, quod in fictili vitreato clauso repone.

### * Electuarium roborans.

℞. Corticis ramorum Hippocastani
Radicis Tormentillæ
Caryophillatæ ana drachmas sex . . . . (*gramm.* 19, 2)
Syrupi corticum Citri . . . uncias octo . . . . . (*gramm.* 204, 9)

Corticem et radices optime pulverata syrupo commisceantur pari ratione ac de Electuario Diascordio dictum fuit.

### Elixir vitrioli acidum aromaticum.

℞. Radicis Angelicæ sativæ
Herbæ Thymi vulgaris
Menthæ piperitis
siccatarum . . . . . . . ana drachmas sex . . . . (*gramm.* 19, 2)
Spiritus vini rectificati . . uncias sexdecim . . (*gramm.* 409, 8)
vitrioli . . . . . . . uncias sex . . . . . (*gramm.* 153, 6)

Spiritui vini pedetentim instilla vitrioli spiritum; vas succutiendo optime misce, atque triduo digere vase clauso, tunc adde permiscendo radices ac folia pulverata, et macera per sex dies; tandem per chartam trajice, atque colaturam in phialis epistomio vitreo expolito clausis asserva.

### Emplastrum adhærens.

℞. Emplastri communis . . . . . libras duas . . . (*gramm.* 614, 7)
Resinæ pini . . . . . . . . . . uncias quinque . (*gramm.* 128 )
Terebinthinæ. . . . . . . . : . uncias duas . . . (*gramm.* 51, 2)

BIBLIOTECA REALE

Leni igne simul liquefiant, et continuo agitando misceantur in Emplastrum uniforme (6).

### Emplastrum Cicutæ cum ammoniaco.

℞. Emplastri communis . . . . libram unam et semis (*gramm.* 461 )
Extracti cicutæ. . . . . . . uncias quatuor . . . (*gramm.* 102, 4)
Gummi ammoniaci
Terebinthinæ
Herbæ cicutæ exsiccatæ ana uncias duas . . . . (*gramm.* 51, 2)

Emplastro leni calore liquefacto adde gummi ammoniacum terebinthinæ commixtum, atque assidue spathula lignea agitando admisce extractum et herbam pulveratam, ac fiat Emplastrum.

### Emplastrum commune.

℞. Olei Olivarum . . . . . libras sex. . . (*kilogr.* 1, *gramm.* 844, 2)
Lithargyri . . . . . . . libras tres . . . . . . . (*gramm.* 922, 1)
Aquæ communis . . . quantum satis.

Lithargyrum subtiliter pulveratum cum oleo, leni calore, coque spathula lignea crebro versando, atque ferventem aquam subinde addendo, ne humidum deficiat, donec lithargyrus solutus sit, nec amplius massa digitis adhæreat: quod fere contingit quum aqua absumpta lithargyri pondus adæquat; tunc ab igne removeatur Emplastrum (7).

### Emplastrum emolliens.

℞. Emplastri communis
Olei Olivarum . . . . ana uncias sexdecim . . . (*gramm.* 409, 8)

---

(6) Loco Emplastri Norimbergensis, E. pro fracturis, E. pro renibus et similium.

(7) Iisdem usibus confert ac Emplastrum Diachylon simplex.

Ceræ flavæ

Sebi ovilli . . . . . . ana uncias novem . . . . (*gramm.* 230, 5)

Leni calore, crebro agitando, optime misceantur ad consistentiam Emplastri (8).

EMPLASTRUM GUMMOSUM.

℞. Emplastri communis libras quatuor (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)

Gummi Ammoniaci

Galbani ana uncias quatuor . . . . . . (*gramm.* 102, 4)

Terebinthinæ . . . . . uncias tres . . . . . . . . (*gramm.* 76, 8)

Emplastro et terebinthina simul fusis, assidue agitando adde gummata pulverata et per setaceum sericum trajecta, ut fiat Emplastrum homogeneum (9).

EMPLASTRUM MERCURIALE.

℞. Emplastri communis libras quatuor . (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)

Mercurii depurgati . libram . . . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Adipis suilli

Terebinthinæ ana . . uncias sex . . . . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)

Emplastro communi, liquato et tepefacto, mercurium, qui adipe ac terebinthina extinctus sit, accurate commiscee.

EMPLASTRUM VESICATORIUM *seu* EPISPASTICUM.

℞. Cantharidum . . . uncias duas . . . . . . . . . . (*gramm.* 51, 2)

Terebinthinæ . . . unciam unam et semis . . . (*gramm.* 38, 4)

Ceræ flavæ

Colophoniæ . . ana drachmas decem . . . . . . . (*gramm.* 32 )

---

(8) Eadem præstat, quæ Emplastrum de Althæa.

(9) Ejusdem virtutis ac Emplastrum Diachylon cum gummi.

Cantharides pulveratæ ceteris simul liquefactis, percolatis, et ad teporem redactis, optime commisceantur.

## Extractum Absinthii.

℞. Herbæ Absinthii recentis libras decem . . (*kil.* 3, *gramm.* 73, 7)
Aquæ communis . . . . libras triginta . (*kil.* 9, *gramm.* 221, 1)

Incisum absinthium macera per nycthemerum, deinde per horam leviter decoque; colaturam cum forti expressione in fictili vitreato, lento igne, et spathula lignea assidue agitando, ad Extracti consistentiam inspissa. Serva in fictili vitreato clauso.

Ita parantur Extracta
herbarum Centaurii minoris
Cerefolii
Cichorii
Hederæ terrestris
Scordii
Tanaceti
Trifolii fibrini
florum Chamæmeli
Papaveris rubri.

## Extractum Aconiti.

Ex tota planta, dempta radice, in mortario marmoreo contusa exprimatur succus, qui sine depuratione in vase terreo vitreato, lento igne, et spathula lignea sæpe agitando, coquatur ad Extracti spissitudinem: atque in vase vitreato clauso asservetur.

Juxta eamdem normam parantur Extracta
herbarum Cicutæ
Convolvuli majoris (10)

(10) Loco Scammonii dosi dupla.

NASTURTII AQUATICI
baccarum SAMBUCI
fructuum immaturorum PRUNI SYLVESTRIS (11).

## EXTRACTUM BARDANÆ.

℞. Radicum Bardanæ
siccatarum . . . libras quatuor . . . (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)
Aquæ communis . libras quadraginta . (*kilogr.* 12, *gramm.* 294, 8)

Radicibus contusis affunde aquam ferventem; digere per horas vigintiquatuor: dein coque ad tertias; exprime et per pannum cola. Colaturam in fictili vitreato, spathula lignea crebro agitando, lento igne ad Extracti consistentiam redige; quod in vase vitreato clauso asserva.

Simili modo parantur EXTRACTA
ex radicibus ENULÆ CAMPANÆ
GENTIANÆ
OSMUNDÆ
SAPONARIÆ.

## EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI.

Radices Hellebori nigri una cum fibris exsiccatas et comminutas inde in vas fictile vitreatum, irrora spiritu vini rectificatissimo, in quo salis tartari pars una pro novem partibus spiritus contineatur: macera per horas duodecim identidem miscendo; tunc denuo irrora et macera. Dein affunde vini rubri austeri optimi quantum satis ut sex transversos digitos superemineat, atque spathula lignea frequenter agitando, per biduum macera, vinum aliquoties addendo ut eamdem altitudinem servet; tunc coque per

(11) Hoc extractum in officinis jamdiu receptum, et *Acacia nostras* dictum, pro Catechu sufficere constat.

horæ dimidium, postea cola et fortiter exprime. Residuum ex radicibus cum eadem vini quantitate macera, coque, cola et exprime, ut prima vice. Unam atque alteram colaturam invicem misce, iisque adjecta dupla aquæ communis ferventis quantitate, in vase fictili vitreato latiore, aperto ad syrupi consistentiam redige: hunc syrupum dupla aquæ ferventis copia dilutum similiter evapora. Omnem liquorem sic bis ad syrupi consistentiam redactum, lento igne, spathula lignea continuo agitando, coque ad Extracti spissitudinem: tandem, vase ab igne remoto, paullatim extracto misce exactissime nonam spiritus vini alcoholisati partem, atque statim mediocri igne evapora, et in fictili vitreato include.

## Extractum Juniperi.

Baccæ Juniperi recentes, mundatæ et contusæ macerentur in aqua communi per dies tres, sæpe agitando, postea tantisper decoquantur; liquor per pannum trajectus, cum forti expressione, evaporet lento igne ad Extracti consistentiam. In fictili vitreato bene clauso recondé.

## Extractum Lactucæ sylvestris.

Succus ex recenti planta expressus, per nycthemerum in frigido loco servatus decantetur, postea ebulliat aliquantulum, et per linteum coletur; tum ope albuminis ovorum clarificetur, atque per pannum laneum trajiciatur; dein leni calore ad dimidium evaporet: ab igne remotus et refrigeratus per albumen ovorum iterum clarificetur, prægressa brevi ebullitione; per pannum trajectus, modo supradicto, in Extractum redigatur (12). Serva in vase vitreato clauso.

---

(12) Dosis a granis quatuor (*decigramm.* 2, 1) ad grana decem (*decigramm.* 5, 3) et ultra.

## EXTRACTUM LIQUIRITIÆ.

Succum Liquiritiæ concretum, minutim sectum solve in aqua tepente, postea per linteum cola; liquorem percolatum leni calore ad mellis spissitudinem evapora. In fictili vitreato clauso repone.

## EXTRACTUM OPII AQUOSUM.

℞. Opii . . . . . . . . . . . . . . . . . . uncias duas (*gramm.* 51, 2)
Aquæ communis destillatæ quantum sufficit.

In mortario marmoreo opium comminutum, aquæ communis libris tribus (*gramm.* 922, 1) permixtum macera per duos dies, identidem spathula lignea agitando; dein per pannum cola cum forti expressione. Super residuum aliam aquæ dosim affunde; iterum macera, exprime et cola: atque eumdem processum repete donec aqua non amplius coloretur. Singulas colaturas lento igne evapora ad medias, assidue bacillo ligneo agitando; liquorem ab evaporatione residuum filtra, et percoque ad extracti consistentiam. Extractum solve in sufficienti quantitate aquæ communis destillatæ, postea per chartam trajectum, moderato igne, continuo agitando, denuo ad debitam consistentiam redige, et in vase vitreato clauso asserva.

## EXTRACTUM PAPAVERIS ALBI.

Capita Papaveris albi siccata et concisa, demptis seminibus, macera per horas duodecim in aquæ communis decuplum, postea coque ad dimidiæ partis consumtionem, cola et exprime; decoctum ad Extracti consistentiam igne lento inspissa (13). In vase vitreato clauso reconde.

---

(13) Hujusce extracti grana octo eadem fere præstant, ac granum unum extracti opii aquosi.

## Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens modico igne evapora in extracti solidioris consistentiam, atque in pyxide clausa serva.

## Ferri Limatura præparata.

Limaturam ferri puri in mortario ferreo, pistillo simili, redige in pulverem tenuissimum, quem per setaceum sericum densum trajice; postea supra porphyritem, sine aqua, lævigа, et in vase vitreo probe clauso reconde.

## Flores Salis Ammoniaci martiales.

*Murias ammoniacæ cum Ferro.*

℞. Salis Ammoniaci depurgati . . . . uncias sex (*gramm.* 153, 6)
Limaturæ Ferri præparatæ . . . . unciam semis (*gramm.* 12, 8)
Aquæ communis destillatæ quantum satis.

In vase vitreo aut fictile vitreato solvatur sal ammoniacus cum sufficienti quantitate aquæ destillatæ: limatura ferri addita, simul relinque per aliquot dies; deinde lente coque, spathula lignea agitando, novamque aquam loco evaporatæ addendo, donec liquor aurantiacum colorem acquisiverit. Liquorem per chartam trajectum evapora ad siccitatem; massam superstitem serva in vitro accurate clauso.

## Flores Zinci.

*Oxydum Zinci sublimatum.*

In crucibulo triangulari amplo, et tegula cooperto, medias inter prunas locato, fundatur zincum confractum: igne aucto, tegula ablata, luculentam viridem flammam concipiet; tunc crucibulo aliud simile inversum superimpone, ita ut anguli utriusque alternentur: sublimabuntur flores albi levissimi, qui partim

superiori crucibulo, partim lateribus inferioris adhærebunt. Quum cessat flamma, superficies zinci fusi virga ferrea tangatur: ita denuo exardescet, et flores alii elevabuntur. Idem repete, donec totum metallum ita in oxydum conversum sit; flores autem ab utroque crucibulo sæpius, cochleari ferreo, leviter eximantur: et si satis albi non sunt, per parvas portiones injiciantur successive in aliud crucibulum candens, ut debitam albedinem acquirant. Hos in pyxide vitrea rite obturata serva.

## HEPAR SULPHURIS.

*Sulphuretum Potassæ.*

℞. Sulphuris citrini . . . . . . . . unciam . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Salis Tartari . . . . . . . . . . . uncias duas . . (*gramm.* 51, 2)

Pulverata et simul mixta, in crucibulo cooperto, sufficienti ignis gradu exponantur, ut fluant; massam intime mixtam affunde supra lapidem oleo illitum: frigefactam et in frusta dissectam confestim immitte in vitrum optime claudendum.

## KERMES MINERALE.

*Oxydum Antimonii hydrosulphuratum rubrum.*

℞. Antimonii præparati libram . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Salis Tartari . . . . . libras quatuor (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)
Aquæ communis . . libras duodecim (*kilogr.* 3, *gramm.* 688, 4)

Ebulliant simul leniter sed continuo, in sartagine ferrea, per horas sex ad minimum; novam aquam ferventem adde prout opus fuerit: lixivium adhuc calidum per chartam cola. Ex eodem dum frigescit, secedit pulvis ruber, quem aqua destillata ablutum, et leni calore exsiccatum vase vitreo clauso serva.

Si liquori superstiti addatur acetum destillatum, præcipitabitur pulvis pallidior, qui SULPHUR AURATUM ANTIMONII nominatur: hunc pariter collige, ablue, exsicca et serva.

## Lapis causticus.

*Potassa fusa.*

℞. Calcis vivæ . . . . libram . . . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Salis Tartari . . . . uncias sex . . . . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Aquæ communis
destillatæ . . . . libras octo . . . (*kilogr.* 2, *gramm.* 458, 9)

Calci superaffunde aquam, cessata ebullitione adde salem tartari, atque in lebete ferreo liquor ebulliat ad mediæ partis consumtionem; tum per chartam trajectus iterum bulliat ad siccitatem. Remanens massa in crucibulum immissa, igne moderato liquescat, et protinus effundatur supra laminam ferream leviter excalefactam et oleo illitam; adhuc calida secetur in frustula, quæ in vase vitreo probe clauso serventur.

## Lapis infernalis.

*Nitras Argenti fusus.*

Scobem Argenti puri immitte in phialam vitream amplam; affunde] Spiritus Nitri quantum satis ad plenam argenti solutionem. Solutio igne arenæ leni evaporet ad tertias, postea crucibulo capaciori indita lente bulliat, donec agere spumam, et fumum emittere desinat, atque instar olei nigri fluat: tunc illico effunde in formas ferreas cylindricas, calefactas et oleo illitas. Frigefactos cylindros exime, et charta involutos confestim vase vitreo epistomio simili perpolito claudendo repone.

## * Linimentum gastrico-opiatum.

℞. Opii . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . drachmam (*gramm.* 3, 2)
Succi Gastrici Vitulini (14)

(14) Cum hic Succus servari non possit, et tantum quando opus com-

Sebi Ovilli . . . . . . . . . . . . ana unciam . . (*gramm.* 25 , 6 )

Opium in pulverem redactum cum succo gastrico in fictili vitreato, sæpius agitando, digere per nycthemerum; tunc adde sebum, et exactissime misce ut fiat Linimentum homogeneum, in vase vitreato clauso servandum.

Eadem est parandi ratio LINIMENTI GASTRICO-SCILLITICI, si loco Opii dupla dosis adhibeatur Scillæ præparatæ; similiter quoque parari possunt Linimenta cum Digitali, aut cum aliis medicamentis.

### * LIQUOR AMMONIACALIS SUCCINATUS.

℞. Salis Ammoniaci depurgati unciam . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Alkali Volatilis sicci . . . drachmas duas . . . (*gramm.* 6, 4)
Olei fœtidi Succini
Animalis (15) . . ana drachmam . . . . . . . (*gramm.* 3, 2)
Aquæ Salviæ . . . . . . . . . uncias octo . . . . . (*gramm.* 204, 9)

Alkali volatile cum oleo succini et oleo animali, in mortario vitreo, misce continuo terendo; adde sal ammoniacum, deinde aquam salviæ, atque in phiala vitrea probe clausa digere per biduum, phialam frequenter succutiendo; tum Liquorem per chartam trajice, et serva in vitro optime clauso.

### * LIQUOR MERCURIALIS.

℞. Mercurii Sublimati
corrosivi . . . . . grana sex . . . . . . . . . (*decigramm.* 3, 2)
Salis Ammoniaci
depurgati. . . . . grana decem et octo. . . ( *decigramm.* 9, 6 )

---

parandus sit, in prima parte non est indicatus. Succus gastricus vitulorum lactantium potius seligendus: hisce autem saliva sani hominis anteponenda.

(15) Idem ac Oleum cornu cervi. V. infra: *Sal*, *Spiritus* et *Oleum animale*.

Aquæ communis
destillatæ . . . . libram . . . . . . . . . . ( *gramm.* 307, 3 )

In mortario vitreo, pistillo simili, in tenuem pulverem redactis salibus, affunde aquam, ac diligenter terendo optime solve. In phiala clausa reconde ad usum externum solummodo (16).

### * Liquor Terræ foliatæ Tartari.

*Acetas Potassæ dilutus.*

In vas vitreatum indito Alkali Vegetabili sicco, pedetentim superaffunde, sub frequenti agitatione, Aceti optimi calefacti quantum satis ad saturitatem; postea Liquorem per chartam cola et serva in phiala obturata.

### Magnesia aereata.

*Carbonas Magnesiæ.*

℞. Salis Cathartici amari
Tartari . . . . . . . . . . . ana libras duas (*gramm.* 614, 7)
Aquæ communis quantum satis.

Salibus seorsum solutis in sufficienti quantitate aquæ ferventis, solutiones per chartam trajice, postea misce, ac per horæ quadrantem fervefac, spathula lignea agitando; tandem adhuc calentes per linteum cola. Massam albam, quæ superest, ablue aqua communi fervente ad perfectam edulcorationem; dein exsicca, et serva in vase figulino cooperto.

Ex liquore percolato Tartarum vitriolatum, *Sulphas Potassæ*, obtinebitur, si explorato prius an perfecte sit saturus, sin minus affusa sufficienti quantitate spiritus vitrioli, liquor evaporet ad cu-

(16) Iisdem usibus confert ac Aqua Phagedænica.

ticulam, dein in loco frigido reponatur, atque inde natæ crystalli colligantur.

### MAGNESIA CALCINATA.

*Magnesia.*

Magnesiam aereatam immitte in crucibulum, quod igne vehementi candens servetur per bihorium; frigefactam repone in vitro optime clauso.

### MEL DESPUMATUM.

℞. Mellis . . . . . . . . libras duodecim (*kilogr.* 3, *gramm.* 688, 4)
Aquæ communis . . libras tres . . . . . . . . . (*gramm.* 922, 1)

Melli ferventi affundatur tertia aquæ pars; dum iterum fervet alia aquæ pars adjiciatur, et sic tertio, singulis vicibus accurate despumando (17). Per linteum cola, et serva in fictili vitreato.

### MEL ROSATUM.

℞. Petalorum siccatorum Rosarum rubrarum, demtis unguibus . . . uncias tres. . . (*gramm.* 76, 8)
Aquæ communis . . . . . . . . . libras tres . . . (*gramm.* 922, 1)
Mellis . . . . . . . . . . . . . . . libras sex (*kil.* 1, *gramm.* 844, 2)

Rosarum petala infunde in aqua ferventi, stent in infusione per horas duodecim: colaturæ cum levi expressione adde mel, et leni igne coque ac despuma; deinde cola, ad justam consistentiam redige, atque in vase figulino vitreato clauso serva.

### MEL ROSATUM SOLUTIVUM CUM AGARICO.

℞. Residui ex destillatione
Rosarum pallidarum,

---

(17) Longa et fortis ebullitio noxia est.

colati et expressi (18) libras quatuor ( *kil.* 1, *gramm.* 229, 4 )
Agarici albi . . . . . . . uncias tres . . . . . . (*gramm.* 76, 8 )
Radicum Jalappæ
Imperatoriæ sicc. ana drachmas duas . (*gramm.* 6, 4)
Mellis despumati . . . . . libras tres . . . . . . (*gramm.* 922, 1 )

Agaricus et imperatoria concisa in libris tribus residui ex destillatione rosarum, jalappa contusa seorsum in libra reliqua ad horas duodecim digerantur: facta deinde expressione tincturas per pannum cola; commisce cum melle, et moderato igne ad syrupi consistentiam redige. In vase figulino vitreato clauso serva.

## MERCURIUS DEPURGATUS.

*Hydrargyrum.*

In retorta vitrea, arenæ balneo, Mercurium destilla leni ignis gradu; excipulum sit aqua semiplenum quam os retortæ attingat. Destillatione peracta aquam effunde, et Mercurium lineis pannis aut charta emporetica exsicca, atque in vitris obturatis repone.

## MERCURIUS DULCIS.

*Murias Hydrargyri.*

℞. Mercurii sublimati corrosivi . uncias quatuor . (*gramm.* 102, 4 )
depurgati . . . . . . . uncias tres . . . (*gramm.* 76, 8 )
Aquæ communis destillatæ quantum satis.

Mercurium sublimatum corrosivum, cum sufficienti quantitate aquæ destillatæ subactum, in mortario vitreo una cum mercurio depurgato tamdiu tere, donec globuli mercuriales visum fugiant, et cinereum colorem massa acquisiverit: hanc in phialis vitreis oblongi colli, balneo arenæ, leni calore primum digere, postea

---

(18) Vid. pag. 19.

igne aucto fiat sublimatio. Salem sic sublimatum in pulverem tritum affusa aqua destillata ferventi ablue, ut si quid corrosivi contineat solvatur; quod melius obtinebitur si huic aquæ addita sit Salis Ammoniaci depurgati octava circiter pars totius sublimati abluendi. Denique pulverem ablutum supra chartam bibulam exsicca, et in pyxide vitrea clausa serva.

## MERCURIUS GUMMOSUS.

℞ Mercurii depurgati . . . . . . uncias tres . . . (*gramm.* 76, 8 )
Gummi arabici . . . . . . . . . uncias sex . . . (*gramm.* 153, 6 )
Medullæ panis albi siccæ . . . uncias duas. . . (*gramm.* 51, 2 )

Mercurium cum gummi pulverato, in mortario marmoreo tere assidue, addendo identidem aquæ communis destillatæ quantum satis, donec mercurius probe extinctus sit; tunc adde medullam panis in pulverem tritam, et misce exactissime ut fiat massa homogenea, quæ in hypocausto modice calefacto exsiccata redigatur in pulverem vase vitreo clauso servandum (19).

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

*Murias Hydrargyri præcipitatus.*

In sufficienti quantitate Spiritus Nitri solvatur Mercurius depurgatus; solutio effundatur in fictile vitreatum, quod aqua Sale Marino puro saturata semiplenum sit: albus pulvis subsidebit, aqua frigida edulcandus, et super chartam in hypocausto modice calido siccandus. Hunc Pulverem serva in vitro obturato.

---

(19) Mercurii grana quindecim circiter ( *decigramm.* 8 ) continentur in hujus pulveris drachma ( *gramm.* 3, 2 ).

## NITRUM DEPURGATUM.

*Nitras Potassæ.*

Nitrum in aqua communi solve; solutionem per chartam trajectam ad cuticulam evapora, tum in loco frigido repone ut separentur Crystalli, quas collectas et exsiccatas serva in vase clauso.

Simili modo depurgantur

SAL AMMONIACUS.
COMMUNIS.

## OLEUM ANISI ESSENTIALE.

seu *Volatile.*

℞. Seminum Anisi . . . . libram. . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aquæ communis . . . libras sex . . . (*kilogr.* 1, *gramm.* 844, 2)

Seminibus non contusis affunde aquam; macera per horas duodecim, postea destilla ad medias, atque Oleum elicitum, ope infundibili, ab aqua separatum serva in vase probe clauso.

Eadem ratione elicitur OLEUM ESSENTIALE JUNIPERI Baccarum.

## OLEUM CHAMÆMELI.

℞. Florum Chamæmeli
recenter siccatorum uncias octo. . . . . . . . (*gramm.* 204, 9)
Olei Olivarum . . . . libras quatuor. . (*kilogr.* 1, *gramm.* 229, 4)

In vas fictile vitreatum immitte flores; superaffunde oleum prius tepefactum: vase clauso digere per triduum, deinde per linteum cola et prælo exprime. Oleum percolatum fœces deponere sine, atque decantatum in phialis obturatis reconde.

## OLEUM LAURINUM.

In mortario lapideo, pistillo ligneo contundantur Lauri baccæ;

deinde bulliant in sufficienti quantitate aquæ communis, per horæ dimidium, vase obtecto: colaturam fervidam cum forti expressione refrigerari sine, et tunc supernatans Oleum viride, odoratum, butyraceæ consistentiæ collige et serva. Magma iterum cum aqua bulliat, iterumque cola et exprime, atque novum Oleum collige, quod repeti potest donec nihil amplius olei separetur.

## Oleum Tartari per deliquium.

*Carbonas Potassæ alkalinulus fluidus.*

Salem Tartari in patina vitrea positum, tamdiu in humido loco detine, dum penitus in liquorem resolutum sit, quem per chartam trajectum in vase vitreo asserva.

## Oleum Terebinthinæ Æthereum et Oleum empyreumaticum.

℞. Terebinthinæ claræ libras duodecim . . . (*kil.* 3, *gramm.* 688, 4)
Aquæ communis. . libras quadraginta octo (*kil.* 14, *gramm.* 753, 7)

In alembico cupreo, stanno obducto, instituatur destillatio, protrahenda donec liquor extillans rufescere incipiat: Oleum æthereum, quod Spiritus etiam nuncupatur, in excipulo obtentum a liquore aquoso, ope infundibuli vitrei, separetur. Magma in alembico residuum immitte in retortam, et arenæ balneo destilla igne fortiore: prodibit Oleum empyreumaticum densum nigricans (20), Fœtidum quoque dictum. Utraque Olea seorsim recondantur in ampullis vitreis accurate clausis.

## * Oxymel Colchicum.

℞. Aceti Colchici . . . . . . . . . . libram . . . . . (*gramm.* 307, 3)

---

(20) Residuum rite siccatum Colophoniam constituit.

Mellis despumati . . . . . . . . libras duas . . . (*gramm.* 614, 7)

In vase vitreo aut figulino semivitrificato, leni calore misce, et serva.

Simili modo et cum iisdem proportionibus parantur

OXYMEL SCILLITICUM cum Aceto Scillitico

SIMPLEX cum Aceto Vini optimo.

### PILULÆ ALOETICÆ seu TARTAREÆ BONTII.

℞. Aloes Soccotrinæ . . . . unciam unam et semis (*gramm.* 38, 4)
Gummi Ammoniaci . . drachmas sex . . . . . . (*gramm.* 19, 2)
Tartari Vitriolati . . . . unciam semis . . . . . (*gramm.* 12, 8)

Pulverata et optime mixta cum sufficienti quantitate Aceti Scillitici cogantur in massam.

### PILULÆ DE AMMONIACO.

℞. Gummi Ammoniaci . . . . uncias duas . . . . . . (*gramm.* 51, 2)
Aloes Soccotrinæ
Tartari Vitriolati . . . ana unciam semis . . . . . (*gramm.* 12, 8)

Optime pulverata et permixta cum Spiritu Vini redige in massam.

### PILULÆ ANTISPASMODICÆ.

℞. Radicis Valerianæ sylvestris unciam. . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Gummi Galbani
Assæ foetidæ . . . . . . ana drachmas duas . . (*gramm.* 6, 4)

Gummi-resinæ pulveratæ probe misceantur cum radice Valerianæ in tenuem pulverem redacta, atque cum sufficienti quantitate Tincturæ amaræ fiat massa.

### PILULÆ DE CYNOGLOSSO.

℞. Corticis Radicum Cynoglossi
siccatarum . . . . . . . . . unciam . . . . (*gramm.* 25, 6)

Seminum Hyosciami albi
Opii . . . . . . . . . . . . ana drachmas duas . . (*gramm.* 6, 4)
Olibani . . . . . . . . . . . . . drachmas sex . . . (*gramm.* 19, 2)
Croci . . . . . . . . . . . . . . drachmam . . . . . (*gramm.* 3, 2)
Syrupi corticum Citri quantum satis.

Opium separatim pulveratum cæteris simul probe tritis admisce, tum syrupum sensim adjice, ac tundendo in massam redige.

## Pilulæ Scilliticæ.

℞. Scillæ recenter exsiccatæ
Gummi Ammoniaci . . . . . ana unciam . . . . (*gramm.* 25, 6)
Radicis Angelicæ . . . . . . . . . unciam semis (*gramm.* 12, 8)

Omnia rite pulverata et commixta cum sufficienti quantitate Oxymellis Scillitici reducantur in massam.

## Pilulæ Tonicæ Bacher.

℞. Extracti Hellebori nigri
Myrrhæ solutæ (21) . . . ana unciam . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Cardui Benedicti (22) . . . . . scrupulos decem (*gramm.* 10, 6)

Misce exactissime; fiat massa aere exsiccanda, donec formandis pilulis apta sit. Singulæ granum unum pendeant.

---

(21) Hæc juxta Auctorem sic paratur: Myrrham ruditer pulveratam in sufficienti quantitate aquæ communis, mediocri igne, solve; liquorem adhuc calidum per linteum cola et fortiter exprime, deinde lento igne, assidue agitando, ad mollis extracti consistentiam redige.

(22) Carduus benedictus colligendus est ante florum expansionem, atque ejus folia in aere aperto exsiccanda, pulveranda, et per setaceum sericum trajicienda. Ita *Bacher.*

## PULPA PRUNORUM.

Pruna matura coque in sufficienti quantitate aquæ communis ad pulpæ extractionem; pulpam per setaceum trajectam evapora ad mellis spissitudinem: tunc continuo bacillo ligneo agitando adde Syrupi Uvarum dulcis uncias quatuor (*gramm.* 102, 4) pro singulis pulpæ libris (*gramm.* 307, 3); deinde leni calore et assidue commiscendo inspissa ad debitam consistentiam (23).

## * PULVIS ANTHELMINTHICUS PURGANS.

℞. Radicum Jalappæ
Valerianæ sylvestris
Seminum Tanaceti. . . . . . ana partes æquales.

Omnia rite pulverata diligenter misceantur, et serventur in vase vitreo clauso.

## * PULVIS ANTISPASMODICUS.

℞. Radicis Valerianæ sylvestris
Foliorum Aurantii . . . . . ana partes æquales.

In tenuem pulverem redacta, et accurate permixta in vitro obturato include.

## * PULVIS AD BOTIUM.

℞. Spongiæ ustæ
Salis Marini depurgati ana partes æquales.

Separatim pulverata, atque optime commixta serventur in pyxide vitrea probe clausa (24).

---

(23) Hæc Pulpa eadem præstat ac Pulpa Cassiæ; atque cum additamento quartæ circiter partis Cremoris Tartari, Pulpæ Tamarindorum vices merito explet.

(24) Dosis a drachma semis ad unam (*a gramm.* 1, 6 *ad* 3, 2).

## PULVIS DIAPHORETICUS DOWER.

℞. Nitri depurgati
Tartari vitriolati . . . . . . . ana uncias quatuor (*gramm.* 102, 4)
Opii
Radicum Ipecacuanhæ
Liquiritiæ . . . . . ana unciam . . . . (*gramm.* 25, 6)

Nitrum et tartarum vitriolatum in crucibulum candens injecta agita, donec deflagratio et scintillatio desinat; massam refrigeratam in pulverem subtilissimum redige, quem cum reliquis seorsim optime pulveratis, diu terendo, misce ut fiat Pulvis uniformis. In vitro probe clauso reconde.

## PULVIS HIERÆ.

℞. Aloes soccotrinæ . . . . . . . uncias quatuor . . (*gramm.* 102, 4)
Radicum Imperatoriæ . . . . unciam . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Asari . . . . . . . . . unciam semis . . . (*gramm.* 12, 8)
Croci . . . . . . . . . . . . . . . drachmas duas . . (*gramm.* 6, 4)

Fiat omnium Pulvis per sericum trajiciendus, et in mortario bene commiscendus, atque vase clauso servandus.

## PULVIS OPIATUS.

℞. Opii . . . . . . . . . . . . drachmas duas . . . . . (*gramm.* 6, 4)
Radicis Liquiritiæ . . . drachmas quatuordecim (*gramm.* 44, 8)

Rite pulverata exactissime misce, et serva in pyxide obturata.

## * PULVIS ROBORANS MARTIALIS.

℞. Limaturæ Ferri præparatæ
Radicum Angelicæ . . . . . . ana unciam . . . . (*gramm.* 25, 6)
Imperatoriæ. . . . . . . drachmam . . (*gramm.* 3, 2)

Omnia seorsim in tenuem pulverem redacta simul accurate misceantur, et in vase vitreo optime clauso serventur.

## * Pulvis Scillæ compositus.

℞. Scillæ præparatæ . . . . . . drachmas duas . . . (*gramm.* 6, 4)
Calami aromatici
Nitri depurgati . . . . . ana drachmas sex . . . . (*gramm.* 19, 2)

Separatim pulverata optime terendo misce, et serva in vitro clauso.

## Resina Chinæ-Chinæ.

℞. Chinæ-Chinæ . . . . . . libram . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Spiritus Vini rectificati libras octo . (*kilogr.* 2, *gramm.* 458, 9)

Corticem ruditer tritum cum spiritu per biduum digere, vas identidem succutiendo; tum cola cum expressione, et colaturam post subsidentiam balneo maris destilla ad mellis spissitudinem: residuum in vasis vitreatis apertis, vapore ferventis aquæ calefactis, redige in Extractum densius; denique in loco calido ulterius exsicca, et serva in vitris clausis (25).

Si Spiritus per destillationem elicitus superaffundatur chinæ-chinæ expressæ, habebitur nova tinctura, quæ simili modo pertractata aliam Resinæ portionem suppeditabit; et sic porro donec spiritus chinæ-chinæ affusus non amplius coloretur.

Residuum chinæ-chinæ expressæ, affuso aquæ ferventis decuplo, per horas vigintiquatuor digere, sæpe agitando; ex colatura post subsidentiam, mariæ balneo, rite evaporata obtinetur Extractum gummosum chinæ-chinæ in pyxide vitrea probe obturata servandum.

Eadem ratione paretur Resina Corticis ramorum Quercus.

---

(25) In officinis pharmaceuticis venit sub nomine Magisterii.

## Resina Jalappæ.

℞. Radicis Jalappæ . . . . . . . uncias tres . . . . (*gramm.* 76, 3)
Spiritus Vini rectificati . . . libras duas . . . . (*gramm.* 614, 7)

Jalappam ruditer pulveratam cum vini spiritu biduo digere, crebro agitando; colaturam limpidam destilla ad medias: spiritum elicitum affunde jalappæ expressæ, atque iterum digere et destilla; quod tertio repeti potest, donec spiritus adhuc coloratur. Ex omnibus residuis, multa aqua frigida adjecta, præcipitabitur Resina, quæ leni calore exsiccata in vitro clauso recondatur.

## Sal, Spiritus et Oleum animale.

Ossa animalium confracta ex retorta vitrea longi colli, et excipulo amplo adaptato, destilla arenæ balneo, igne gradatim aucto: prodibunt successive Spiritus, Sal et Oleum. Spiritus ab Oleo separetur, Sal colligatur; seorsim singula serventur in phialis optime clausis (26).

Quod in retorta remanet peracta destillatione, immitatur in crucibulum, et igne fortiori uratur donec albescat; postea in mortario marmoreo teratur, atque supra porphyritem, aquam sensim instillando, diligentissime lævigetur: habebis Ossa Animalium usta, seu ad albedinem calcinata, in pyxide clausa servanda.

---

(26) Idem Spiritus, Sal et Oleum pari ratione elici possunt ex unguibus, cornubus, sanguine, uno verbo ex omnibus quorumcumque animalium partibus, adipe excepto: nec quæ ex Cornu Cervi obtinentur, illis sunt anteponenda: et animalium Ossa præparari, meritoque semper adhiberi possunt pariter ac Cornu Cervi.

## SCILLA PRÆPARATA.

Ab exteriori cortice et radiculis mundentur Scillæ bulbi; horum squammæ separentur, et super cribrum loco calido exsiccentur.

## SOLANUM TUBEROSUM PRÆPARATUM.

Radices Solani tuberosi in sufficienti quantitate aquæ communis mediocriter coque; tum cortice mundatas in taleolas scinde; atque in furnum collocatas exsicca (27).

## SPIRITUS COCHLEARIÆ.

℞. Herbæ Cochleariæ recentis libras quinque (*kil.* 1, *gramm.* 536, 8)
Radicum Raphani rusticani
recentium . . . . . . . . . libras duas . . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Spiritus Vini rectificati . . libras tres . . . . . . (*gramm.* 922, 1)

Radices in taleolas sectas contunde in mortario lapideo una cum cochlearia; in cucurbitam vitream immissis affunde spiritum, et vase obturato macera per horas duodecim: postea mariæ balneo destilla, atque elice libras tres (*gramm.* 922, 1), in phialis epistomio vitreo perpolito clausis servandas.

## * SPIRITUS MINDERERI.

*Acetas Ammoniacæ dilutus.*

In vas vitreum immitte Alkali Volatile siccum, et paullatim

---

(27) Ita præparatæ radices Solani corneam duritiem et pelluciditatem acquirunt, diu servari possunt, atque licet difficulter, studiose tamen in pulverem rediguntur; hic pulvis albidus, gummi arabico similis, facile in ore solvitur, atque aquam mucilaginosam reddit: eædem omnino sunt proprietates Salep Persarum, ex quo nihil magis expectandum, quam ex hoc Præparato.

superaffunde, vas subinde agitando, Aceti optimi quantum satis ad saturationem; tunc per chartam trajice, et in vitro probe clauso repone.

### Spiritus Nitri.

*Acidum Nitricum.*

℞. Nitri depurgati et exsiccati libras duas . . . . (*gramm.* 614, 7)
Olei Vitrioli . . . . . . . . . libram . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Nitrum indatur retortæ vitreæ, et caute affuso oleo vitrioli, aptetur excipulum amplum tubulatum, in quo adsint Aquæ communis unciæ tres (*gramm.* 76, 8); atque juncturis accurate obstructis, excipulum opportune refrigerando, destilla arenæ balneo, donec nulli amplius vapores ascendant (28).

In aliquot drachmas liquoris destillati immitte pedetentim scobis Argenti puri quantum satis ad saturationem; tum subsidere sine, et post subsidentiam decanta. Hujus solutionis guttas paullatim instilla in reliquum liquorem usque dum non amplius turbetur, quem postea decanta, et adjecta parva nitri depurgati quantitate, iterum destilla fere ad siccitatem. Acidum elicitum serva in phialis epistomio vitreo perpolito clausis.

### Spiritus Salis Ammoniaci, seu Alkali Volatile Fluor.

*Ammoniaca liquida.*

℞. Salis Ammoniaci . . . . . . . libram . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Calcis vivæ . . . . . . . . . . libras duas . . . . (*gramm.* 614, 7)

---

(28) Ex hujus destillationis residuo, ignis aperti vi, superstes acidum nitricum dispellatur; tunc illo in aqua communi soluto, et addita Olei Tartari sufficienti quantitate ad Acidi Sulphurici in liquore contenti saturationem, per evaporationem et crystallisationem obtinebis Tartarum Vitriolatum.

Salem ammoniacum et calcem separatim in pulverem redacta, postea commixta immitte in retortam vitream; adde aquæ communis uncias tres (*gramm.* 76, 8), atque agitando permisce: retortam in arenæ balneo statim colloca, et apta excipulum amplum in quo adsit Aquæ communis destillatæ libra (*gramm.* 307, 3); juncturis probe obturatis, igne gradatim aucto destilla ad siccitatem, continuo excipulum refrigerando. Sic saturatam aquam reconde in parvis phialis epistomio vitreo optime clausis.

Si ex residuo destillationis fiat lixivium, quod convenienter evaporet, ut fiant crystalli, habebis MURIATEM CALCIS in vitris probe clausis servandum.

## SPIRITUS SALIS MARINI.

*Acidum Muriaticum.*

℞. Salis Marini depurgati
et decrepitati . . . . . . . libras duas . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Olei Vitrioli
Aquæ communis . . . ana libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Sal communis indatur retortæ vitreæ, et superaffuso oleo vitrioli aqua primum caute diluto et refrigerato, destilletur ex balneo arenæ, igne sensim aucto, in excipulum amplum tubulatum, donec nulli amplius vapores prodeant. Acidum sic obtentum in phialis epistomio vitreo perpolito clausis asserva.

## SPIRITUS SALIS DULCIS.

*Acidum Muriaticum Alcohole dilutum.*

℞. Spiritus Salis Marini . . . . . libram . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Spiritus Vini alcoholisati . . . libras tres . . . . (*gramm.* 922, 1)

Amplo matracio vini spiritum immitte, et spiritum salis paul-

latim affunde, atque per nychthemerum digere; tunc in phialis, epistomio vitreo optime claudendis, transfunde et serva.

### Spiritus Vini alcoholisatus seu rectificatissimus.

*Alcohol Vini*

Spiritum Vini rectificatum destilla, mariæ balneo, donec purus Spiritus ascendere pergit (29), et in lagenis vitreis optime clausis repone.

### * Spiritus Vini Camphoratus.

℞. Spiritus Vini rectificati . . . . libras duas . . . (*gramm.* 614, 7)
Camphoræ rasæ . . . . . . . . unciam . . . . . (*gramm.* 25, 6)

In vase vitreo probe clauso misce optime, et serva.

### Spiritus Vitrioli.

*Acidum Sulphuricum dilutum.*

℞. Olei Vitrioli . . . . . . . . libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aquæ communis destillatæ libras quatuor (*kil.* 1, *gramm.* 229, 4)

Oleum vitrioli et aquam caute misce in matracio vitreo; post refrigerationem trajice per chartam: et serva in vasis vitreis epistomio vitreo clausis.

### Spiritus Vitrioli dulcis.

*Acidum Sulphuricum Alcohole dilutum.*

℞. Spiritus Vitrioli
Vini rectificatissimi ana partes æquales.

Eadem ratione paratur ac Spiritus Salis dulcis.

---

(29) Purum agnoveris, si eidem adjectus Sal Tartari remaneat siccus.

### SPONGIA PRÆPARATA.

Spongiam bene mundatam et siccam sub prælo diu fortiterque compressam tene ; ab ipso remotam et statim in parvi cylindri formam convolutam, ope fili cannabini arctissima ligatura circumda et constringe : atque ita constrictam serva in vase clauso, et loco sicco (30).

### SPONGIA USTA.

In vase terreo bene obturato Spongia mundata fere in carbonem aduratur : tum in loco sicco servetur.

### * SYRUPUS DE ALTHÆA.

℞. Radicum Althææ recentium
et mundatarum . . . . uncias sex . . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Mellis . . . . . . . . . . . libras sex . (*kilogr.* 1, *gramm.* 844, )
Aquæ communis . . . . . libras duas . . . . . . . (*gramm.* 614, 7)

Radices concisas, in aquam ferventem injectas decoque per aliquot minuta, et statim cola ; liquorem percolatum melli excalefacto admisce, atque coquendo et despumando redige ad justam consistentiam. Syrupum refrigeratum serva in vase figulino vitreato clauso.

### SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

℞. Rhabarbari . . . . uncias sex . . . . . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Radicis Cichorei . uncias quatuor . . . . . . . . (*gramm.* 102, 4)
Mellis . . . . . . . libras septem . . . . . (*kil.* 2, *gramm.* 151, )
Aquæ communis . libras quinque . . . . . (*kil.* 1, *gramm.* 536, 8)

---

(30) Cum opus est, nodo relaxato, removeatur ligatura ab una extremitate cylindri, atque frustulum præscriptæ longitudinis abscindatur; reliquum ut antea constrictum servetur.

Rhabarbarum incisum infunde in aquæ ferventis libris tribus (*gramm.* 922, 1): digere per noctem, cola et exprime; liquorem percolatum serva. Residuo ab infusione rhabarbari, adde radicem cichorii expolitam et minutim concisam, et aquæ communis reliquum; decoque ad tertiæ partis consumtionem: cum hoc decocto percolato despumetur mel, cui sic despumato adjiciatur liquor asservatus, et coquendo in amplo vase fiat Syrupus, ut supra, servandus.

### Syrupus Corticum Citri.

℞. Corticis exterioris
Limonum, recentis . . . uncias sex . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Syrupi Uvarum dulcis . . . libras quatuor (*kil.* 1, *gramm.* 229, )
Aquæ communis . . . . . . libras duas . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Olei essentialis cortic. Citri scrupulum. . . . . . (*gramm.* 1, 06)

Corticem minutim sectum infunde in aqua fervente, ac digere per horas duodecim, vase clauso; infusum refrigerari sine, postea per linteum trajice cum forti expressione, et syrupo uvarum affunde; denique in amplo et parum alto vase, spathula lignea continue versando, moderato ignis gradu celeriter evapora: Syrupo ab igne remoto ac tepenti admisce oleum essentiale. In phialis vitreis bene obturatis repone.

### Syrupus Papaveris albi.

℞. Extracti capitum
Papaveris albi . . . . unciam . . . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Syrupi Uvarum dulcis libras quatuor (*kilogr.* 1, *gramm.* 229 )

Extractum in pauca quantitate Aquæ communis dilutum adjice syrupo sufficienter calefacto, et intime commisce: per linteum cola et serva in phialis vitreis subere obturatis (31).

---

(31) Hic Syrupus continet circiter grana decem Extracti capitum Papa-

## * Syrupus Papaveris rubri.

℞. Petalorum Papaveris
rubri siccatorum . . . . uncias duas . . . . . (*gramm.* 51, 2)
Mellis . . . . . . . . . . . libras quinque (*kilogr.* 1, *gramm.* 536 )
Aquæ communis . . . . . . libras duas . . . . . . (*gramm.* 614, 7)

Flores infunde in aqua fervente, ac digere per diem, postea cola cum forti expressione; atque infusum melli adjectum coquendo ac despumando evapora, ut in præparatione Syrupi de Althæa, et pariter serva.

## * Syrupus de Rhamno cathartico.

Baccas Rhamni cathartici maturas et recentes, ac probe mundatas contunde in mortario marmoreo; tum exprime succum, quem post subsidentiam percola, et per evaporationem inspissa ad consistentiam extracti mollis: hoc extractum Melli despumato et sufficienter excalefacto intime admisce, servata semper ea proportione, ut mellis unciæ quinque recipiant unciam unam extracti. In fictili vitreato clauso repone.

## Tartarum Emeticum.

*Tartris Potassæ Antimoniatus.*

Antimonium præparatum leni calore expone in vase fictile non vitreato, spathula ferrea assidue agitando, donec nullum amplius odorem sulphureum exhalet; postea in crucibulo tegula plana cooperto igne validiore funde: atque quum ejus portio, ope spa-

veris albi pro qualibet uncia; cum autem hujusce Extracti grana octo æquiparari possint grano uno Extracti Opii aquosi, uti jam indicavimus, Syrupus sic præparatus minori dosi præscribi debet, quam Syrupus Papaveris albi hucusque in officinis receptus.

thulæ ferreæ extracta, in vitrum diaphanum concrescere observatur, totum effunde supra lapidem politum calefactum.

Vitrum Antimonii pellucidissimum inde obtentum in porphyrite lævigetur, et æquali Cremoris Tartari dosi mixtum bulliat in sufficienti quantitate Aquæ communis, usque dum cremor tartari saturatus sit; tum per chartam trajice, et colaturam leni igne ad cuticulam evaporatam repone in loco frigido ut formentur crystalli, quibus collectis, residuum denuo evapora, et in loco frigido iterum seposito novas lege crystallos, et sic porro, donec liquor exhaustus sit. Crystallos exsiccatas in pyxide clausa serva.

### Tartarum Solubile.

*Tartris Potassæ.*

℞. Salis Tartari . . . . . . uncias duas . . . . . . . (*gramm.* 51, 2)
Aquæ communis . . . libras duas. . . . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Cremoris Tartari . . . quantum satis.

Salem tartari in aqua solve, et ebullienti solutioni adde successive cremoris tartari quantum satis ad saturationem; liquorem adhuc calidum per chartam cola, et leni calore ad siccitatem evapora, spathula lignea præcipue sub finem agitando. Massam salinam lente exsiccatam in vasis probe obturatis serva.

### Tinctura Amara Aromatica.

℞. Herbæ Absinthii recenter exsiccatæ uncias duas (*gramm.* 51, 2)
Corticum Aurantii exteriorum
siccatorum . . . . . . . . . . . . . . unciam . . . (*gramm.* 25, 6)
Radicum Calami aromatici
Angelicæ
Gentianæ exsiccatarum . . . . . . . . ana unciam semis (*gramm.* 12, 8)
Spiritus Vini rectificati . . . . . . libras tres . . . (*gramm.* 922, 1)

Contusis radicibus affunde vini spiritum, et digere in matracio rite clauso, identidem commovendo, per quatuor dies; concisa deinde herbam et cortices infunde, iterumque digere per horas duodecim: tum cola cum forti expressione. Tincturam per chartam trajectam in ampullis vitreis optime clausis asserva (32).

## Tinctura Anodyna.

℞. Opii . . . . . . . . . . uncias duas . . . . . . . . (*gramm.* 51, 2)
Croci . . . . . . . . . drachmam . . . . . . . . . (*gramm.* 3, 2)
Vini albi generosi . . libram unam et semis . (*gramm.* 461 )
Spiritus Vini rectificati unciam . . . . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)

Opium et crocum separatim pulverata et commixta, in vinum injecta triduo digere, vase clauso, frequenter agitando; tunc per chartam cola, et addito vini spiritu in vitris probe claudendis repone.

## Tinctura Assæ fœtidæ.

℞. Assæ fœtidæ contusæ . . unciam . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Spiritus Vini rectificati . libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Assam fœtidam cum aliqua portione arenæ optime lotæ et exsiccatæ mixtam, in vase circulatorio, vini spiritu affuso digere per dies sex, sæpe agitando; deinde per chartam trajice, et serva in vase vitreo optime clauso.

## Tinctura Cantharidum.

℞. Cantharidum . . . . . . . . . . unciam . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Spiritus Vini rectificati . . . . libram . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Cantharides pulveratas in spiritu triduo digere vase clauso, fre-

(32) Dosis a drachmis duabus ad unciam semissem (a *gramm.* 6, 4 ad 12, 8) in convenienti vehiculo.

quenter commovendo; Tincturam per chartam trajectam in phiala bene obturata reconde.

## TINCTURA CHINÆ-CHINÆ.

℞. Chinæ-Chinæ . . . . . . . . . uncias quatuor . . (*gramm.* 102, 4)
Corticum exteriorum
Aurantii siccatorum . . . unciam . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Radicis Calami aromatici
siccæ . . . . . . . . . . . . . unciam semis . . . (*gramm.* 12, 8)
Croci . . . . . . . . . . . . . . drachmas duas . . (*gramm.* 6, 4)
Spiritus Vini rectificati . . . libras quatuor (*kil.* 1, *gramm.* 229 )

Chinam-Chinam, cortices aurantii, radicem calami et crocum separatim in crassum pulverem redacta, spiritu vini mixta in matracio vitreo obturato digere per octo dies, identidem succutiendo; colaturam forti expressione factam trajice per chartam, et in phialis vitreis optime clausis repone (33).

## TINCTURA HIERÆ.

℞. Pulveris Hieræ . . . . . . . . uncias tres . . . . (*gramm.* 76, 8)
Vini albi generosi . . . . . libras tres . . . . (*gramm.* 922, 1)
Spiritus Vini rectificati . . . uncias sex . . . . (*gramm.* 153, 6)

In matracio rite clauso triduo digere, crebro agitando. Tincturam percola, quam in phialis vitreis bene obturatis conservabis.

## TINCTURA MARTIS TARTARISATA.

℞. Limaturæ Ferri præparatæ uncias sex . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Cremoris Tartari . . . . . . libram . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Spiritus Vini rectificati . . uncias tres . . . . . (*gramm.* 76, 8)

---

(33) Hæc Tinctura adhiberi potest eodem modo et pari successu, iisdem in casibus in quibus Tinctura Antiseptica *Huxham* præscribi solet.

Aquæ communis . . . . . . libras quindecim (*kil.* 4, *gramm.* 610, 5)

In vas vitreum limatura et cremore tartari pulverato immissis superaffunde aquam, digere per dies tres, spatha ferrea identidem agitando; tum mixtura bulliat per bihorium sub frequenti agitatione, et per chartam trajecta ad syrupi fluidioris consistentiam exhalet: atque post refrigerationem addito vini spiritu reponatur in vitro bene clauso.

### Tinctura Rhabarbari vinosa.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞. Rhabarbari . . . . . . . . | uncias duas . . . . . . | (*gramm.* 51, 2) |
| Seminum Fœniculi . . . | unciam semis . . . . . | (*gramm.* 12, 8) |
| Vini albi . . . . . . . . . | libras duas . . . . . . | (*gramm.* 614, 7) |
| Spiritus Vini rectificati | uncias tres . . . . . . . | (*gramm.* 76, 8) |

Rhabarbaro inciso, et seminibus contusis affunde vinum ac spiritum; macera per dies octo, postea cola, et in phiala vitrea include.

### Tuthia præparata.

*Oxydum Zinci album pulveratum.*

Tuthia in olla terrea ignescat; tum in aqua extinguatur: postea siccata et in pulverem trita, super porphyritem aquam instillando lævigetur.

### Unguentum adhærens.

| | | |
|---|---|---|
| ℞. Colophoniæ . . . . . . . . . | libram unam et semis | (*gramm.* 461, ) |
| Olei Nucum juglandium . | libram . . . . . . . . . | (*gramm.* 307, 3) |
| Sebi ovilli . . . . . . . . . . | uncias novem . . . . | (*gramm.* 230, 5) |
| Olei ætherei Terebinthinæ | uncias tres . . . . . . . | (*gramm.* 76, 8) |

Colophonia et sebo simul liquefactis, et ab igne remotis adde olea; tum accurate miscendo fiat Unguentum (34).

---

(34) Ob emplasticam vim eadem præstat ac Unguentum de Styrace.

## Unguentum Ægyptiacum.

℞. Viridis Æris pulverati . . uncias quinque . . . (*gramm.* 128 )
Aluminis usti . . . . . . . unciam semis . . . . (*gramm.* 12, 8)
Aceti optimi . . . . . . . . uncias septem . . . . (*gramm.* 179, 2)
Mellis despumati . . . . . uncias sexdecim . . . (*gramm.* 409, 8)

Omnia simul permixta lente bulliant, et assidue agitando redigantur ad justam Unguenti consistentiam.

## Unguentum Aloeticum.

℞. Adipis Suilli . . . . . . . libram . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Fellis Bovilli recentis . uncias sex . . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Aloes Soccotrinæ
Radicis Bryoniæ . . ana drachmas sex . . . . . (*gramm.* 19, 2)
Seminum Tanaceti
Olei Juniperi . . . . ana unciam semis . . . . . (*gramm.* 12, 8)

Aloem et bryoniam pulverata digere per nycthemerum in felle, identidem commovendo; postea cum adipe liquato accurate misce, atque continue subigendo adde semina tanaceti in tenuem pulverem redacta; tandem Unguento subfrigido oleum juniperi permisce. In vase clauso reconde.

## Unguentum Basilicum.

℞. Olei Olivarum . . . . . . . . libras duas . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Ceræ citrinæ
Colophoniæ
Picis navalis . . . . . . ana uncias sex . . . . . (*gramm.* 153, 6)

Simul liquefacta percolentur, et subigantur in Unguentum.

## Unguentum Cerussæ.

℞. Cerussæ,
Adipis Suilli

Sebi Ovilli . . . . . . . . . . . ana partes æquales.

Adipe ac sebo leni calore liquefactis, adde paullatim cerussam atque continue versando redige in Unguentum.

### Unguentum Commune *seu* Emolliens.

℞. Butyri recentis

Sebi Ovilli . . . . . . ana libram unam et semis ( *gramm.* 461 )

Olei Olivarum . . . . . . . uncias sex . . . . . . (*gramm.* 153, 6)

Leni calore simul liquefiant, et commisceantur in Unguentum.

### Unguentum Fuscum.

℞. Olei Olivarum . . . . . libram . . . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)

Adipis Suilli

Sebi Ovilli

Butyri recentis

Ceræ citrinæ

Lithargyri . . . . . ana uncias octo . . . . . . . (*gramm.* 204, 9)

Omnibus, lithargyro excepto, in amplo vase calefactis usque dum vapores prodeant, pedetentim adjice lithargyrum, atque assidue rudicula lignea agitando coque, donec Unguentum nigricantem colorem acquisiverit.

### Unguentum Hyoscyami.

℞. Foliorum Hyoscyami nigri recentium

Adipis Suilli depurgati . . . . . . ana libram . (*gramm.* 307, 3)

Adipi liquato hyoscyami folia contusa admisce, et spatha lignea crebro agitando lente coque ad humidi evaporationem; mox per linteum prælo exprime, et fac Unguentum.

### Unguentum Magnesii nigri.

℞. Magnesii nigri
Adipis Suilli . . . . . . . ana partes æquales.

Adipi leni igne liquato adde magnesium in tenuem pulverem redactum, et in mortario marmoreo probe misce, ut fiat Unguentum homogeneum.

### Unguentum mercuriale.

℞. Mercurii depurgati
Adipis Suilli (35). . . . . . . . . ana partes æquales.

In mortario marmoreo, pistillo simili, diu tere, donec globuli mercuriales prorsus evanescant.

### Unguentum Resinosum, *seu* Balsamum Arcæi.

℞. Terebinthinæ
Resinæ Pini . . . . . . ana libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Adipis Suilli . . . . . . . . uncias novem . . . . (*gramm.* 230, 5)
Sebi Ovilli . . . . . . . . . uncias sexdecim . . (*gramm.* 409, 8)

Leni calore liquata probe misceantur.

### Unguentum Staphisagriæ.

℞. Seminum Staphisagriæ uncias quatuor . . . . . (*gramm.* 102, 4)
Mercurii depurgati . unciam unam et semis. (*gramm.* 38, 4)
Adipis Suilli . . . . . libram unam et semis . (*gramm.* 461 )

Mercurius cum adipe diligenter extinguatur, adjectaque staphisagria optime pulverata fiat Unguentum.

---

(35) Æstivo tempore tertiæ Adipis Suilli parti substituatur Sebum Ovillum.

### Unguentum Sulphuratum.

℞. Florum Sulphuris . . . . libras duas . . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Radicis Hellebori albi . uncias sex . . . . . . (*gramm.* 153, 6)
Adipis Suilli . . . . . . . libras quinque (*kil.* 1, *gramm.* 536, 8)

Adipi leni calore liquato adjice paullatim sulphur, dein radicem hellebori in pulverem redactam, continenter omnia immiscendo.

### Unguentum Thymeleæ.

℞. Corticis Thymeleæ (36) . uncias octo . . . . . . (*gramm.* 204, 9)
Olei Olivarum . . . . . . libras duas . . . . . . (*gramm.* 614, 7)
Ceræ citrinæ . . . . . . . uncias sexdecim . . . (*gramm.* 409, 8)

Corticem thymeleæ minutim sectum et contusum macera in oleo per dies duodecim, crebro succutiendo; postea cola et prælo exprime: dein ceram in hoc oleo liqua, bacillo ligneo agitando dum in Unguentum simul concrescant.

### * Vinum Amarum.

℞. Radicum sicc. Gentianæ . . . uncias duas . . . . (*gramm.* 51, 2)
Enulæ Campanæ
Corticum exteriorum Limonis recentium . . . . ana unciam . . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Vini rubri generosi . . . . libras quatuor (*kil.* 1, *gramm.* 229, 4)
Spiritus Vini rectificati . . uncias quatuor. . . . (*gramm.* 102, 4)

Radices contusas et cortices minutim sectos in vase circulatorio, per horas viginti quatuor, macera cum vino et spiritu, iden-

---

(36) Corticem flaccescentem, idest tres vel quatuor dies antea e trunco divulsum, et in loco sicco et temperato servatum adhibere oportet.

tidem succutiendo; colaturam expressam et decantatam serva in phiala probe occlusa.

### * VINUM EMETICUM.

℞. Tartari Emetici . . . . . drachmam semis . . . (*gramm.* 1, 6)
Vini albi . . . . . . . . . uncias quindecim. . . (*gramm.* 384 )
Optime mixta serva in phiala bene obturata.

### * VINUM SCILLITICUM.

℞. Scillæ recenter exsiccatæ . drachmas duas . . . (*gramm.* 6, 4)
Vini albi generosi. . . . . libram . . . . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Spiritus Vini rectificati . . unciam. . . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Scillam concisam in matracio vitreo clauso cum vino et spiritu macera per tres dies; liquorem expressum et percolatum in phiala vitrea optime clausa repone.

### VITRIOLUM VIRIDE PURIFICATUM, *seu* SAL MARTIS.

*Sulphas Ferri.*

In aheno ferreo cum sufficienti quantitate Aquæ communis, et aliqua portione Limaturæ Ferri, tamdiu ebulliat Vitriolum, donec cultro, aut aliquo polito ferro candente immerso nullæ amplius cupri particulæ adhæreant; liquor per chartam trajectus evaporet, ut formentur Crystalli, quas exsicca et serva.

# PARS TERTIA.

## *Medicamina quæ ex tempore parari debent.*

### Aqua Mulsa.

℞. Aquæ communis . . . . . . . libras duas . . . . (*gramm.* 614, 7)
Mellis despumati . . . . . . . unciam . . . . . . (*gramm.* 25, 6)
Misce, et signa *Pro potu.*

### Aqua Tartarisata (37).

℞. Aquæ communis . . . . . . . . . . libras duas . (*gramm.* 614, 7)
Syrupi Uvarum subacidi . . . . . . unciam . . . (*gramm.* 25, 6)
Cremoris Tartari pulverati . . . . drachmam . . (*gramm.* 3, 2)
Misce et signa ut supra.

### Aqua Vegeto-mineralis.

℞. Aquæ communis destillatæ . . . libram . . . . . (*gramm.* 307, 3)
Aceti Saturni . . . . . . . . . . . . unciam semis . (*gramm.* 12, 8)
Misce, et signa *Pro Usu externo.*

### Bolus Balsamicus.

℞. Terebinthinæ claræ . . . grana quindecim . . . (*decigramm.* 8)
Extracti Hederæ terrestris drachmam . . . . . . . . (*gramm.* 3, 2)

---

(37) *Aquæ Imperialis*, sic dictæ, apud nos admodum familiaris locum tenet.

Terebinthina et extracto probe commixtis adjiciatur Pulveris Liquiritiæ quantum satis, ut massa justam consistentiam acquirat. Signa juxta ordinem.

### Bolus Diureticus.

℞. Pulveris Scillæ compositi . . grana quindecim . ( *decigramm.* 8 )
Extracti Nasturtii aquatici . drachmam . . . . . (*gramm.* 3, 2 )
Misce, et signa ut supra.

### Bolus Opiatus.

℞. Pulveris Opiati . . . . . grana sex . . . . . . . . (*decigramm* 3, 2 )
